This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

http://books.google.com

Digitized by Google

EX BIBLIOTHECA

P. P. C. LAMMENS.

[redacted]THEEK GENT

Digitized by Google

Aee 6809

Digitized by Google

Acc. 6809.

Digitized by Google

DIALOGI

XLII. PER HADRIANVM BARLANDVM

ad profligandam e ſcholis barbariem vtiliſſimi.

Ad priorem æditionem acceſſerunt tredecim dialogi.

Eiuſdem dialogi duo, poſt tredecim illos iam recens excuſi.

Item Auguſtini Reymarij Mechlinieñ, Dialogus vnus, de ludo Chartarum.

BARLANDI Opuſculum de inſignibus oppidis inferioris Germaniæ.

Antuerpiæ apud Michaelem Hilleniũ.
M. D. XXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLARIS ORTO NATALIBVS iuueni Carolo de Croij Altimontenſis & Affliginenſis monaſteriorū adminiſtratori Hadrianus Barlandus S. P. D.

EQVIDEM Fui ſemper in ea ſententia claris prognate Carole, vt putarem nullum genus hominum melius de patria de republica mereri, quam qui optimis pariter, & moribus, & literis iuuentutem erudiunt, quo in ſtudio nunc mihi cōſumpta tranſactaq; eſt pars ætatis melior, & flos ipſe, neque tamen adhuc laborem detrecto, ſi qua iuuare poſſim & aliquid opis adferre iam renaſcentibus, & erigentibus ſeſe paſſim fauore ſuperum bonis literis. Poſt eruditum hominem Petrum Moſellanum, poſt Eraſmium Roterodamum incomparabili doctrina virum nuper dialogorum ceu ſyluulam quandam in pluribus & maximis docendi occupationibus congeſſeram, videlicet vt tibi me do

100

Digitized by Google

mi tuæ quotidie docentem audienti, priuatim col loquij literarij vice forent, quod vidiſſem te hoc ſtudij genere peculiarius delectari. Poſtea vero amicis quibuſdam rogantibus, vt laborem hunc vulgarem, & ſcholis ipſis ac gymnaſijs, in quibus Romanæ docentur literæ, paſſus ſum omnibus ex æquo communem fieri, iiſq; potiſſimum qui gaudent ea refloreſcere ſtudia quę plurimum ſint ad omnem doctrinam hominibus collatura profectum. Qualiacunque ſunt igitur hæc collo quia quæ dictaui, non ſcripſi opto, vt proſint iuuētuti eloquentiæ ſtudijs inſudanti, Tuo autem nomini inſcribuntur. Spes eſt enim ita vel maxime ſcholis & pueritiæ probatum iri. Si quidem tu ea fronte hilari acceperis, qui vnus inter nobiles adoleſcentes purgatorū literarū ſtudioſiſſimus, doctorū hominū amantiſſimus es, planeq; refers & morib⁹ atq; ingenio nobis repręſentas felicis memoriæ fratrē tuū Guillielmū Croiū, Cardinalē, qui iuuenis quo tempore & ipſe a me doceret, & poſtea ſemp ſtudio ac fauore in ſtudioſos & eruditos homines ſuperabat vincebatq; ſenes ac maiores natu omnes, nuſq̄ paſſurus eloquendi virtutem iacere, ſi longior vita contigiſſet, qui in eo affect⁹ hoc gratior eſſe debet, quo pauciores ſunt eo prouecti honoris ac dignitatis qui eloquentię ſtudia mirentur. Cęteri enim oderunt literas, oderūt ſcholas, oderunt deniq; Muſarū nomen. Suntque in eos qui literas colūt animo infeſto, ac probe hoſtili. Bene vale, tibique liberali luſu animū remittenti, aut hic noſter, aut quod malim, Eraſmi colloquiorum libellus ſit in manibus. Louanij Anno M. D. XXIIII.

Cauponis & Viatoris.

Caupo.

TE amicum ſummum meum peregre in patriã aduenire gaudeo. Via. At ego feſtiuiſſimum cõgerronem inuenire ſanũ atq; valentem plurimum lætor, & ſuperis ago gratias. Caupo. Quam cũ ſtomacho bene. Viat. Lupus mihi in ventriculo geritur. Caupo. Vt cum ſit. Viator. Siccus ſum ſiti. Caupo. Heus puer expedite adferto, quo ſitim hic leuet amicus. Viator. Meliꝰ eſt, vt prius excutiam pallio puluerem. Caupo. Detur linteolum frigida miniſtretur, qua faciem lauet. Viator. Vt me recreauit pocillum hoc cryſtallinum, quo tota mihi vita nihil viſum eſt lepidius. Caupo. E cella penuaria huc adferte rubellum illud recẽs aduectum, Cape hoc amiciſſime homo, primoribus admoueto labris ipſi quoque pedes ilico ſenſerint: huius meri laus eſt, quod ad rixas & cõtentiones trudit neminem, ſolius ſomni amicum, & omnis blandiloquentiæ. Sed amabo comites iſti tui cuiates ſunt? Viator. Scoti. Caupo. Tam longinquæ profectionis cauſa quæ fuit illis? Viator. Perſuadere illis non potui ſacerdotibus in noſtrate regione liberos eſſe. Brabantiam igitur ingreſſi, viderunt parochum quẽdam filiæ nuptijs præſidentem. Caupo. Veniendi autem Louanium, quænam cauſa? Viator. Domum

Digitized by Google

primo ciuicam huius oppidi, Pontificis inde Ha-
driani ſexti domum, poſt inſignem Bruxellam vi
dere, ad poſtremum ſalutare virginem matrem
cupiunt apud Arſcotum miraculis claram. Cau
po. Probum eſt hoc & pium conſilium. Via-
tor. Hæc nunc miſſa faciamus. Tu ad cœnam vo
cato, quos mecum adduxi. Caupo. Omnes vo
co. Agite hoſpites boni, ſcedite in hortulos illos
Elyſijs ſimiles delitijs. hic conquieſcite, ſedantes
& famem & ſitim. Viator. Atqui latine nihil
intelligũt. Caupo. Tute igitur illos alloquere,
atq; vt potiſſent, vt hilariſſimi ſint videto, Ego in-
terim curauero vt anglice, hoc eſt opulẽtiſſime pa
riter ac lautiſſime diſcumbant.

DIALOGVS.

Rolandus & Beatus.

Rolandus.

NOn facile dixerim quantum me iuue
rit iſta deābulatio, & ſeſſio hæc mul
to ſuauiſſima fuit procul a ſtrepitu
ciuium, procul a forenſibus negotijs.
O diem hunc albo mihi lapillo notan
dum. Beatus. Imprimis me altiſſimum dele-
ctauit ſilentium, & blandus atq; ſuauis ille garri
tus auium tam diuerſarum præcipue philomelæ,
in cuius auiculæ tam paruulis faucibus omnia
ſunt, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis ars ho
minum excogitauit. Quid dicam vmbræ amœ-
nitatem? Quid micantia late gramina per tumu
los, perq; vmbriferas conualles, perq; amnis taci-
ti ripas? Quid auræ ſalubritatem, quid lympi-
dos fontes, & colludentes per prata greges com-
memorem? Ad hanc voluptatem acceſſit Geor-

Digitized by Google

gij noſtri Thumoutij hominis literaturæ politioris vſq; ad miraculum ſtudioſi aduentus, qui iucunda quadam loquacitate ac lepidis ſermunculis nos plurimùm recreauit. Roland. Eſt is concitandi riſus artifex optimus. Beatus. Iam apparent & alij ſodales, Vt lubenter eos video, vt ſenis magiſtri aduentum gaudeo, atq; adeo nihil huic noſtræ voluptati defuit. Sed quid illud, quod magiſter ſolito letior incedit? Roland. Nihil mali eſt, ne verere. Expectat alios, & ſenex eſt, & qui tot annos exercentur in ludo literario, brachijs magis, quam pedibus valere ſolent.

LVDVS.

Carolus, Rumoldus.

Carolus.

RVMOLDE TV vt maior ita prior ludito. Rumold. At tu vt inſtructior incipe, ego deinde ſequar. Carol. Quoniam ita vis, faciam. Ecce primo iactu tres baculos proſterno. Rumol. Habes nobilem manum, at ego te vincam ſpero. Carol. Nihil tetigiſti. Rimold. Expecta, non omnes ijdem ſunt ictus, ego ſequentes arte corrigam. Carol. Iam recta ad regem pergo. Rumoldus. Non habes eum, mihi ſeruatur. Carolus. Non dubito, quin a me proſterni malit. Rumold. Quamobrem? an quia me peior es. Carolus. Quia manum habeo nobiliorem. Troianus ille hector lætus perijt Achillis dextra.

Rumold. Ego iam te non ſum inferior. Carol. At ego nunc ſupero. Ru. Quot bacillis? Carol. Quatuor. Rumoldus. Vtinam is iactus totidem mihi proſternat. Carolus. Fruſtra optas, ſcio non futurum. Rumoldus. Nonne iam te vinco? Carolus. Quot habes bacillos? Rumoldus. Ita multos vt victoriam ſperem. Carolus. Heus tu, omnis belli incertus eſt euentus. Non ſemper vincit, qui initio fortior eſt. Rumoldus. Sæpe tamen is vincit. Carolus. Quid nunc ais? Iam te æquaui. Rumoldus. Video, neque propterea ſpero minus. Caro. Si nunc ego te vicero, quantum mihi ridebéris. Rumold. Ne nimium gloriare, ſi ſtultum illum ſemel tetigeris, Iro pauperior fueris. Carolus. Equidem cauebo ne in illud ſaxum incidam. Rumoldus. Regem proſtraui. Carolus. Ego & regem, & præterea duos illos regi vicinos euertam. Rumoldus. Si hoc poſſis viceris. Carolus. Iam habeo, quid igitur nunc reſtat? Rumoldus. Vt intermiſſa ſtudia repetamus. Nam hora ſonuit quarta.

Laurentius, Damianus.

Laurentius.

VOS MISEROS, qui in hæc tempora incidérimus. Damianus. Nullum non tempus bonum eſt, ſed bonis temporibus nos vtimur male, In hoc itidem vt in alijs culpas noſtras & vitia rebus adſcribentes. Nos operam demus, vt boni ſimus, &

bona erunt tempora. Laurentius. Vnum me ſolatur, quod hæc qualiacunq; diu ſtare nõ poſſunt. Damianus. Mihi nullum tempus ſtare videtur, labuntur & prætereunt omnia, nec quæ præterijt hora reuertitur, ac ſolo bonarum artium ſtudio efficere poſſumus non quin fugiat, auoletque, ſed ne pereat nobis irreparabile tempus. Nullius rei quam bene collocati & impenſi temporis memoria iucundior, ſed nos peſſime vtentes rebus omnibus tempus innoxiũ accuſamus, infantia ac pueritia luſibus vaniſſimis, adoleſcentia in libidine, reliquum ætatis in querelis ac lamentis conſumitur. Hæc nulla eſt temporum culpa, ſed noſtra. Quod tu mi Laurenti tẽpora ſperas lætiora, hoc non eſt in temporibus, ſed in teipſo eſt ſitum. Vtere literis, vtere ſtudio Philoſophiæ, virtutem cole, hoc ſi feceris, lęta erunt omnia tẽpora, triſte nihil.

Diſcipulus ac Præceptor.

Diſcipulus.

ACCEPI HODIE pręceptor epiſtolam, qua vocor in patriam non rediturus opinor ad ſcholã tuam. Scribit enim pater ſe congreſſum & loquutum eſſe cũ Antonio Panormita illo, qui Galliarum inuicto regi eſt a cõſilijs, hunc ſuaſiſſe vt me in Germaniam ablegaret, ad quos populos, vt imperium, ita & literæ ſuis relictis ſedibus commigraſſe videntur. Præcep. Fateor & ego vigere illic ſtudia, proferre ſe ingenia, ſed vnum me ter-

ret, quod tam multos eximie doctos viros illic inficí videam contagione Saxonica, vnde tibi quoq; nonnihil metuo, ſi eo te contuleris. Nã ita ſerpit ac inualeſcit indies hoc malũ, vt nullũ oppidũ, nullꝰ pagus, nullus ſit vicꝰ ab hac peſte futurus propediem immunis. Diſcipulus. Cauebo præceptor oraturus etiam patrem, vt apud Germanos in ea me ſchola ſtudere ac literis melioribus incumbere patiatur, quę quam minimum ſit hoc teterrimo genere morbi infecta. Præceptor. Neſcio an hęc reperiri poſſit in Germania, quam prouinciã longe nobiliſſimam doleo equidem verſari in tantis erroribus ac cæcitate, & hinc ſubnatum eſſe incendium quo fortaſſe aliquando conflagraturus ſit vniuerſus terrarum orbis. At tu mi alumne, quantum fieri poſſit, caue ne huius mali contagio corripiaris, atque eos libros ne legito, vnde fluxit, vnde manauit hic ingens morbus, & ſi CHRISTO ſeruatori tuo charus eſſe velis, ab hijs quæ vulgus tum facit, tum opinatur, quam maxime diſſentias atque memineris peſſimum eſſe morum autorẽ populum, nihil enim habet, quod maximo etiam iure non damnes, non improbes. Diſcipulus. Faciam quod mones pręceptor obſeruandæ. Nũc tibi gratias ago immortales, quod me & patrio quodam affectu hoc biennium, quo vixi in tua familia, ſis proſequutus, & ſumma diligentia inſtitueris. Præceptor. Nihil me pœnitet inſumpti in te docendo laboris fili chariſſime. Tu bene valebis, & me amabis. Diſcipulus. Me ab amore humaniſſimi pariter ac doctiſſimi præceptoris deducet nulla ſenectus, ſiue ego Tythonus, ſiue Neſtor ero.

DIALOGVS RECITATVS IN Ecyram Terentij publice exhibitam Louanij, Anno reſtitutæ ſalutis. M. D. XXIIII.

Henricus & Iodocus.

Henricus.

SALVVS SIS O NOſter Iodoce. IODO. Et tu ſalueto Henrice. Henricus Quid rerum nunc agitur Louanij? Iodo. Quid ageretur, paſſim nūc mortales aut ad pocula, & ſpumātes deſidēt pateras, aut alea luſitāt, aut ad numerum choreas ductitant. Henri. Iſtæc inſania eſt quam cum bonis omnibus, tum maxime Chriſtiano viro indignam iudico. Magis mihi ꝓbatur veterum cōſuetudo Romanorum, qui feſtis huiuſmodi Comœdias potius inſignium poetarum exhibebant, vt a noxijs iſtiuſmodi comeſſationibus auocatos iuueniles animos cum quadā iucunditate ad literarum & eloquentię ſtudiū excitarent, accenderent, inflāmarent. Iodoc. Si tibi tantopere laudatur hoc factum Romani populi, qui tandē ad illud Lactantij reſpondes? in ſcænis neſcio an ſit corruptela vitioſior. Nam Comicę fabulæ de ſtupris virginum loquūtur, & amoribus meretricū, & quo magis ſunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt eo magis ſententiarū elegantia perſuadēt. Henric. Iſtuc dicere Lactantium ſæpe miratus ſum, & nunc itē miror. Eſt enim Comœdia nihil aliud quā humanæ ſimulachrum vitę, & quæ illic de ſtupris vir-

Digitized by Google

ginum & amoribus meretricum dicuntur, ſic di-
cuntur, vt reprehendantur, non vt probetur. Illud
enim patris Demeę in Fratrib⁹. Cur amat? cur po
tat? cur emis amicam Mitio? quem nõ doceat hoc
turpe eſſe adoleſcentulo, ſi inter ſcorta, & combi-
bones rem patriã dilapidet, obligurriat, deuoret?
Sexcẽta ſi ſit ocium enumerare poſſem ex Comœ
dijs, quæ hoc animo lecta, non officere, ſed ꝓdeſſe
plurimum queant, vnde nos laudatã Romanorũ
coeſuetudinem imitantes, nihilq́; veriti Areopa-
gitas ac religioſulos quoſdam, qui ſanctimoniã
omnem in veſtitu ac ſupercilijs ſedere exiſtimant
huic illuſtrium ac doctiſſimorum cœtu virorum
exhibebimus Terentij Ecyram. Iodoc. Elegan-
tem profecto Comœdiam, ac plane moralẽ, quam
que mihi ac meis æqualibus hoc anno præceptor
enarrauit. Quo magis gaudeo, te nunc mihi da-
tum eſſe obuium, vnde hoc reſciſcerem. Henric.
Quære igitur aliquem in turba locum, vnde ſpe-
ctes. Nos enim accingimur.

DIALOGVS RECITATVS
poſt actam fabulam.
Henricus & Iodocus.

Henricus.

NOn dici poteſt mi Iodoce, q̃ me dele-
ctarit, quanta voluptate remorata ſit
animum meum hæc actio. Nulla vo
luptas, nullæ ſunt deliciæ, quas cum
hiſce ludis cõferre velim, dic rogo qs
inſtituit hanc iuuentutem? Iodoc. Non vnius, ſed
plurium hic labor eſt, plures ſunt autores, duces,
præfecti. Collectitius grex eſt. Henric. Emoriar
ſiquid vnquã viderim, legerim, audierim, quod

Digitized by Google

placeret magis. Idoc. Bene habet ſi his quo-
que in omni doctrinarum genere principibus vi-
ris ita placuit, ita probetur, vt tibi. Henric. Non
dubium eſt mihi, quin doctis probetur omnibus.
Nam indoctos ſcio nihil moramini, ſed quo nunc
abis? Iodocus. Intro ad meos, quo me vocant do
meſtica negocia. Tu valebis in craſtinū. Vos quo-
que ſpectatores optimi valete quam optime.

Colloquium Canonici & Philoſophi.

Canonicus.

CANONICVS ſum.
Philoſophus. Bene habet,
ſi citra Simoniacam labem
huc perueniſti, Aliquot eñ
ſeculis perpauci ad honores
Eccleſiaſticos alia via graſ-
ſati ſunt. Canonicus.
Nactus ſum præbendam.
Philoſophus. Prędam ve-
rius dixeris. Multi enim ita verſantur in hoc nego
tio, vt nihil aliud, quam prædari videantur. Ca-
nonicus. Obtigit mihi Canonicatus. Philoſoph.
Vide ne incontinentius viuendi præbita ſit mate-
ria. Permultos gloriari videas Canonici vocabulo
qui interim ab ipſa re longius abſunt quam diſtat
ortus ab occidente. Canonicus. Gaudeo me Ca
nonicum eſſe factum. Philoſophus. Bona pars
hominum gaudet ſacerdotiorū acceſſione: quod
inde ſperent ſibi quottannis redituras aureorum
myriades aliquot: Non quod melius ac ſanctius
viuendi oblata ſit occaſio. Canonicus. Romanus
Pontifex me Canonicum fecit. Philoſopus. Ex
libero ſeruum fecit. Et hic videndū eſt tibi, ne eos

imiteris, qui mane ſicci ac ieiuni in templo pſallũt a prandio vuidi & ſacrorũ immemores aut dormiũt, vt & cœnæ ſufficere poſſint, aut talos in Pyrgum proijciendo tranſigunt horas. Canonicus. Me felicem qui Canonicus ſim factus. Philoſophus. Iſtuc dicam, iſtum honorem tibi gratulabor, ſi ita verſatus fueris in hoc munere, vt homines intelligant te non ſolum nomine, ſed re & vita Canonicum eſſe. Memineris te prębendæ iſtius quam vocant tum curatorem, tum diſpenſatorẽ eſſe, vt cuiuſuis neceſſitati cõmodes, vt cuiuis deſpetenti, atque indigenti. Quemadmodum enim Deus alijs eloquentiam, alijs rerum agendarum conſilia, alijs magnum dedit in periculis obeundis animum, breuiter alijs alia donauit, ita quibuſdam diuitias quoque dedit, non vt ſuæ quiſq; ſeruiat libidini, ſed perinde vt eloquens alijs commodat lingua, prudens alijs conſilio commodat, ita diues quoque alijs pecunia commodet.

Colloquium Ghijſberti & Hadriani.

Ghijſbertus.

QVI Syderum progreſſiones obſeruant, hoc anno vigeſimo quarto dixerant, mortalibus timendum eſſe a diluuione, terræmotibus, vrbium euerſionibus ac alijs pleriſque malis & maxime Februario menſe qui tamẽ fuit ſerenior, & ſine vllis fere tempeſtatibus. Hadrianus. Ita ſolent omnia euenire ſecus atque illi ſcripſerint. Ghijſbertus. Quid tu igitur de illorum ſcientia

indicas? Hadrianus. Pronunciare de tam occultis ac remotis a vulgi notitia rebus nō eſt meum. Ghiſbertus. Mihi quidem illi dum talia chartis illinunt ſomnia ſcribere videntur ſua, vnde ad ſolos typographos & librorum venditores redeat fructus. Quam multos hoc anno inſulares homines Aſtrologi iſti ſedes mutare, patriam fugere, ac dulcia arua linquere coegerunt metu ac formidine impendentis diluuionis. Hadrianus. Qui hoc fecerunt, ij niſi fallor, ſuam nunc ſtultitiam agnoſcunt, ſeſeque accuſāt, quod libellis eiuſmodi tantum tribuerint, quos fortaſſe non Aſtrologi ſed nugones quidam euulgauerant. Tales, tamq; improbos homines puniri ac ſupplicijs admoueri intereſt reipublicæ. Multum enim nocent, atq; ipſi etiam qualiquali ſcientiæ iniurii ſunt.

Philippus & Auguſtinus.

Philippus.

PROBAS Ne Auguſtine, quod Principes Chriſtiani ſic iter ſe belligerantur, ſic diſſentiunt, ſic omnia miſcēt, ac tormentorum æneorum crepitib⁹ hominū animos territant, formidinem immitunt. Auguſtinus Non poſſum probare bellum quod inter Chriſtianos geritur ob rem nihili. Philippus. Quæ eſt horum cauſa bellorum? Auguſtinus. Ampliandi regni cupiditas, quæ in hoc hominum genere quanta ſit dici vix poteſt. Philippus, Quanto melius

eſſet eos cum vitiis bellum gerere? Auguſtinus. Vtinam aliquando ſic reſipicant, & morbum ſuum agnoſcentes in vitia, hoc eſt in fidei hoſtes arma, gladios, denique vires omnes conuertant, liberaturi nos hoc pacto malis quam plurimis. Philippus. Modica ſpes eſt, tam infenſis animis inter ſe conflictantur, ac mirifice diſſentiunt; & præſentibus ſolum voluptatibus intentos nihil futura ſolicitant, neque vident intra breuiſſimum tempus oppida ſua, populum ſuum in aliorum poteſtate futurum. Auguſtinus. O vana ingenia, o mores corruptos, animoſque qui nihil principibus viris dignum concipiant. Philippus. Doleo ſic interiiſſe virtutem, doleo non eſſe qui contra illos bellum ſuſcipiant, contra eos dimicent; qui pro mancipiis, pro iumentis habent Chriſtianum populum. Mirum in modum commoueor, orbem noſtrum viris ita deſtitutum eſſe. Auguſtinus. Virtus plerumque ſucceſſores non habet, & regna vt principium, ſic etiam finem habent, quemadmodum, dies, menſes, & anni.

Colloquium Præceptoris & Diſcipuli.

Diſcipulus.

VOCOR In patriam præceptor humaniſſime. Præceptor. Quidnam eſt negotij? Diſcipulus. Pater deceſſit ex pleureſi. Præceptor. Felicius eſt aliquando mori quam viuere, & mortalis erat ille, hac lege natus erat, vt aliquando fatali concederet neceſſitati. Mitte igitur fili, nihil profutu-

ras lachrymas, ac deum. Op. Max. præcare, vt animæ defunctæ velit eſſe propitius. Diſci. Faciam ita vt mones præceptor. Nunquid eſt, quod a me curari velis? Præc. Nihil, niſi vt optimæ fœminæ matri tuæ ſalutem annuncies nomine meo, ac reditum matures. Non enim potes citra diſpendiũ a libris tuis abeſſe diutius. Diſ. Nihil æque cupio q̃ huc q̃primum recurrere. Præ. Pene mihi exciderat, quod maxime iniunctũ tibi oportuit. Agit in ſolo tuo natali Henricus Veronenſis noſter diſcipulus, cuius pater mihi pro filij inſtitutione, & contubernio debet coronatos. xx. Hunc adibis. vt hoc pecuniæ tibi adnumeret. Diſ. Faciam equidẽ lubens præceptor optime, ſed vereor ne redeam inanis. illo enim nihil eſt tenacius, & pro hoſtibus habet omnes qui petunt aliquid. Præ. Tamen cõuenies hoiem. Si nihil adnumeret in ius vocabit. Nunc abito. Diſ. Vale p̄ceptor eruditiſſime. Præ. Et tu bene vale animo meo chariſſime alumne.

Colloquium Liuini & Roberti.

Liuinus.

NVnq̃ audiuiſti Roberte, qui diceret poetarum lectionẽ officere moribus? Rob. Audiui perſæpe, verum iſtud nunq̃ mihi perſuaderi potuit. Verſatus enim ãnos complures in hoc ſtudio, plus iueni moralis philoſophiæ in poetarum libris, q̃ in eorum commentarijs, qui hodie ſummi & conſummati habentur philoſophi. Liui. Quid narras? Ro. Vt alios taceã lege Horatij epiſtolas, euolue ſermo-

nes eiuſdem, ſcatent ij libri ſententijs, quibus ille ad virtutē hortatur, & a vitijs deterret. Liui. Me miſerum, qui florem ætatis in nugis quibuſdam ſophiſticis contriui. Rober. Bono ſis animo. Nulla ætas ſera eſt ad diſcendum, fac amare hæc ſtudia incipias. Nihil eſt tā difficile, quod hoc pacto non ſis conſequuturus. Liui. Bene mones, & ego te autore nūc relictis ſophiſtarum libris, ad poetarum lectionem me conferam. Rober. Hoc ſi feceris vt melior euadas, neq; me huius conſilij, neq; te vnquam

Similitudo apum pulcherrima.

penituerit incepti. Vnum te admonitum velim, vt hoc in ſtudio apes imiteris, quæ non omnibꝰ floribus ſimiliter inſidunt, neq; ex ijs ad quos aduolarint omnia conantur auferre. Sed ea tantū quæ ad mellificiū neceſſaria norint. Liui. Teneo quid velis, & ita facere certum eſt.

Colloquium Petri & Bernardi.

Petrus.

AVlicorum filios ſpe quadam inſtituere quid eſt? Ber. Eſt venari in mari, & piſcari nemoribus: promittunt enim aureos mōtes aulici, ſed ꝑmittunt tantum. Pet. Non magni faciunt liberorum inſtitutores. Ber. Imo his preferūt etiam quos habent a matulis, ſi quando aliquid ſit conferendum. Petrus. Poſt annorum viginti ſeruitutem, & operam liberis ſuis nauatam, vix ſolent triobulare ſacerdotiū dare pro ſtipendijs. Ber. Nonne igitur bene tibi dixiſſe videtur pſalmographus: Nolite confidere in principibus, in quibus non eſt ſalus? Pet. Nimirū

Digitized by Google

vere. Nos quoque non ſemel à purpuratis iſtis deluſi ſumus, qui ſi quid promiſerint, moneri ſe nõ patiuntur, & tamen vbi oblata occaſio eſt, nõ meminerunt. Bet. Proinde ſi ſapis, recipito negociatorum filios, hac via multo citius diteſces. Eſt hoc genus hominum non verbis vt aulici, ſed re ipſa liberale, & fauet ſtudijs. Non Brugis, noui in alijs emporijs mercatores, patronos doctorum hominum maximos (in aula, pręſertim noſtrate ne vnũ quidem. Pet. Faciam ita vt mones, & gaudeo te mihi contigiſſe monitorem in tempore.

Colloquium Petri & Ioannis.

Petrus.

Quę mi Ioannes cras eſt hora lectioni conſtituta? Ioã. Nulla. Feriæ ſunt futuræ. Eſt enim is dies ſacer. Pe. Cui diuo? Ioan. Huberto. Pet. Is venatorum deus eſt. Cras igitur futuri ſũt a canibus tuti lepores. Ioan. Apud Gallos minime. Pe. Quid ita? Ioan. Hæc gens non aliter eo die litat Huberto, quam venatu ac inſectandis quadrupedibus. cras vnicuique licebit venãdi gratia & priuatorum ſaltus ingredi. Quod ſi quis aliàs ſolitus, eo die nõ venetur, pœnas dat Galliæ pręfecto. Adeo hoc flagitium eſt illis. Petrus. Quas pœnas dat ille, qui non ſit venatus? Ioannes. Interdicit ei præfectus in eum annum eſu ceruinæ. Petrus. Quid ſi poſt interdictum comederit? Ioannes. In rabiem caſurus putatur, qua laborare ſolent, quos rabidus momorderit canis. Petrus. Si tam ſanctum eſt Gallis feſto die venari, cur igitur in

ſacris canonibus prohibetur, ne quis tum exeat venatum. Ioan. Recte ita ſtatutum eſt in canonibus Nam ſi ſanctum eſſet venari feſtis diebus, non ipſi Huberto adhuc idolorum cultori, die natalis dominici alijs in templo ad aras deſidentibus, venāti feraſq; magno ſtudio inſectanti ceruus occurriſſet inter cornua ſignum crucis geſtans, quemadmodum pingitur in tabulis. Hoc enim ideo factū eſſe videtur, vt ſciret ille peccatum eſſe. Petr. Tune credis hoc ita accidiſſe? Ioan. Legitur in legenda aurea. Petr. Imo plumbea verius. Quam multa illic narrātur, quæ nunq̄ diui fecerunt in terris, & tamen repperit hic inſignis liber a quibus ametur, ac pene ſtudioſius legatur quam Euāgelium, frequentius item cum honoris præfatione citetur in concionibus fratrum, q̄ Paulinæ Epiſtolæ.

Colloquium Laurentij & Remigij.

Laurentius.

PRætereunti modo apud forum mihi occurrit publicus ſcholæ noſtræ tabellarius. Vnde exiſtimo te literarum aliquid a patre accepiſſe. Remigius. Accepi a patre vnas, alteras a patruo. Laurētius. Quid pater ſcribit? Remi. Minitatur ſeſe facturum mihi, quod mœchis fieri ſolet, niſi ſtudeam, niſi literas mirari incipiam, & amare. Laurent. Quid tam ille ſeuus pater eſt? Mœchis in adulterio deprehenſis, teſticuli ſolent amputari. Quod ſi tibi quoq; fiat, non eris amandus virginibus, neq; papatui, vt vulgo loquuntur, idoneus. Quam ob rem ſi iſtuc ſerio ſcribit pater, omnino a pila & globis in ſcholam redeundum eſt tibi.

Digitized by Google

Remi. Quid agam? Non delectat ſtudiũ: In ſcholis cum ſedeo corpore ſum illic, animo foris ſum, vnde fit non raro, vt a lectione domũ reuerſus nihil eorum teneam quæ præceptor dixerit. Laur. Huic rei facile remedium inuenero. Conueniam patrem, vt te collocet apud cucullatos iſtos. Nihil erit illic, quod auocet animum tuum. Remi. Carcerem illum loqueris? & nihil aliud quã frontiſterium & carnificinam perpetuam. Siquidem malim totos viginti annos in carcere Bonauenturæ apud Louanienſes detineri, quam annum vnum illis conuiuere tam ſæuis tortoribus. Si alia nõ potes via reb⁹ noſtris conſulere, bene valebis, ego ad alios tranſeo amicos, vnde plus ſpei ſiet mihi.

Colloquium Carini & Pamphili.

Pamphilus.

Totus ne in aulam cõmigraueras Pamphile? Pamphi. Quam vellem in caula interim. Cari. Verſabaris illic inter purpuratos, inter deos quoſdã terreſtres. Quotidie prodibas indutus purpura & byſſo, & commeſſabaris quotidie magnifice. Pã. Splendorem iſtum nimis q̃ libenter reliqui. Cari. Fortaſſe quod ea non noras, quę maxime ſunt aulica. Pam. Iſta percupio ex te audire ac diſcere. Cari. Vis igitur eo recurrere? Pam. Nihil minus, verum vt eadem alijs quibus bene faueã commemorans, eos ab aulica vita, hoc eſt ſplendida quadam miſeria deterream. Cari. Nunc igitur

ſtudi. Vt gratus eſſes, vt commode ageres, blãde ſalutare debuiſti, complecti, cędere via, aperire caput, ſubinde repetere honoris & charitatis titulos laudare aſtati, polliceri benigniter, aſſentari etiã morionibꝰ. Ipſi principi commode ſubſeruire, ad adorationem arridere aut alia quædam id genus; inutilis pudor abſtergendus erat, ac natiuo vultu domi relicto, quaſi perſona ſumẽda. Ad hæc ſi ſis indocilis, probo quod reliqueris aulam. Nam ſine his moribus nihil aliud eras in aula futurus q̃ aſi-

Addagiũ.

nus inter ſimias. Pam. Maximam tibi habeo gratiam Charine, quod hæc animo tam amice impartiueris, eadem & ego contubernalibus quibuſdã meis impartiã, qui de aula adeunda iampridẽ inter ſe conſultant, nõ magis ad hæc quę dixiſti modo idonei, q̃ aſinus lyræ, aut citharæ eſtis, qui canere neſciat.

Colloquium Præceptoris & diſcipuli.

Præceptor.

QVid cauſæ eſt quod heri nec pranderis, nec cœnaueris domi? Diſci. Aliquot me ſodales abduxerant in tabernam meritoriã. Pręcep. Qui ſunt iſti ſodales tui? Diſcip. Ioannes Horſnius, Vualterus, & Henricus, hic zelandꝰ, ille phriſius patria. Prę. Frugi ſodales mihi noĩas, iſtos noui ſtrẽnuos potores. Diſc. Coactꝰ ſum pręceptor humaniſſime. Præ. Scio tua volũtate coactus. An excidiſſe mihi putas, quod ab hinc quatriduũ foris pernoctaueris. Diſ. Fateor, ſed apud amicũ & probum ciuem pernoctaui, cum a cœna domũ re-

pnocto verbũ amanũ.

deunti collegij fores occluſæ eſſent. Præ. Nō ignorabas qua ſoleat hora occludi, ſurgendum tibi fuerat ante alios, vt admittereris. poſt horam enī nonam hyeme, ęſtate poſt decimam patent nemini, nec ipſi quidem gymnaſiarchæ. Diſ. Surgere ante alios pudebat, nam hoc quibuſdam inciuile habetur. Pręcep. Sed non habetur tibi inciuile potare in noctem concubiam. Tum autem poſtridie dormire in medium diem, profecto hoc dico tibi adoleſcens, niſi his rebus finem facias, propediem futurum, vt te huius vitæ pœniteat. Moribus iſtis mihi præceptori, deinde parenti es iniurius, ille te ſtudere putat cum nihil facias minus. Iam credit vir bonus ita promouiſſe te in ſtudio liberaliū artium, vt ſcribere poſſis & quauis de re Latine ac eleganter diſſerere, vnde quātum adhuc abſis me non fugit. Porro comeſſationes iſtæ perpetuę, etiā ſi ingenio ſis excellenti, tamen ſic officient ſtudijs, ac memoriæ tuæ, vt nihil ſis vnquā facturus memorabile, niſi ebrietati, vt dicitur laqueum remiſeris, quæ tantam omnium malorum meſſem importat, & ab omni auocat honeſtarum rerum ſtudio. Diſc. Peccatum meum agnoſco præceptor optime. Proinde tibi accidens ad genua rogo hāc noxiam condones, poſthac me ſemper adiungam probatioribus ac vitæ integritate ſpectatis iuuenibus. Præcep. Hac lege ignoſco tibi. Quod ſi te relapſum videro, vt deploratum, vt inſanabilem ædibus meis eijciam. Diſ. Iſtud faciendi ne detur occaſio, pro virili cauebo Præceptor obſeruande.

Ex Satyra quadam Horatij in garrulum, Colloquium Garruli & Horatij.

Garrulus.

QVid agis dulciſſime Horati. Hor. Suauiter vt nunc eſt rerum ſtatus, & omnia quæ vis cupio. Garru. Noſtin me? doctus ſum. Hor. Tāto pluris te facio. Gar. Vt video abire cupis, ſed nihil agis, vſque tenebo te, et perſequar. Hinc quo nūc eſt iter tibi? Nihil opus eſt te circumagi & quęrere diuerticula, vt a me diſcedas. Hor. Inuiſo quēdam minime tibi notum, & nunc grauiter decūbentem. Is amicus, longe trans Tyberim habitat prope Cæſaris hortos. Gar. Nihil quod agam habeo, & non ſum piger, vſque te ſequar. Si bene me noui, non pluris facies quemuis alium, quamuis diſertum amicū quā me. Nemo me ſcribere plures, aut citius poſſit verſus. Nemo mēbra mouere mollius, atque agilius, tam peritus ſum canēdi, quod Hermogenes ille Tygellius inuideat. Hor. Eſt tibi mater? ſunt cognati? quibus te incolumi eſt opus? Gar. Neque mater eſt mihi, neque cognati, oēs ſepeliui. Hor. O felices quos quidē tibi tam garrulo mors eripuit. Ego ſolus reſto, quē tu garrulitate interficias tua. Confice nūc me. Nam fatū inſtat mihi triſte, quod anus quępiā puero mihi cecinit fore, vt neque veneno, neque in pręlio perirem, neque lateris dolor me, aut tuſſis auferret, aut tarda podagra, ſed garrulus me quiſpiam conſumeret. Garru. Cogor ego nunc reſpondere vadato. Quod ni faciam, litē perdidero. Si me amas Horati, paulum hic adſis. Hora. Emoriar ſi aut poſſum adeſſe, aut ſi iura noui ciuilia, & propero vt dixi ad amicum trans Tyberim iacentem. Gar-

tu. Nunc dubito, velim ne te relinquere, an litem Horatiꝰ. Oro me relinquas. Garrulus. Non faciam. Quomodo tecum viuit Mæcenas? Horatius. Homo eſt perpaucorum hominum, & ſana mente. Garrulus. Nemo te felicior eſt, vt qui illum amicum & patronũ habeas, rem mihi gratiſſimam faceres, me tibi multũ obligares, me magnum haberes in famulatu & obſequio adiutorẽ ſi me traderes illi, ſi me illi amicũ faceres, quo ſtatu rerum, nemo præter te illic regnaret. Horat. In hac familia nec adulator, nec ditior quiſpiã officit mihi, aut etiam doctior, quiſq; ſuum illic habet locum. Garrulus. Magnum narras, & vix credibile. Horatius, Atqui ſic habet. Garrulꝰ. Accendis me quare magis cupiam illi proximus eſſe, id quod facile impetrabimus te adiuuante, & virum illum facilem & exorabilem eſſe inaudiui. Horatius. Quo facilior eſt & exorabilior, hoc difficiliores primos aditus habet, neque ſe facile patitur a quolibet ſupplicaturo adiri. Garrulus. Mihi non defuero, Muneribus ſeruos corrumpã, neque ſi ſemel atque iterum excluſus fuero propterea deſiſtam, oportunitatem quæram, Mæcenati occurram locis omnibus, domum deducam. Nihil ſine magno labore datum eſt mortalibus.

Colloquium Thomæ viri docti & Guilielmi ſcholaſtici.

Thomas.

QVANDO Rediſti in patriam Guilielme? Guilielmus. Iã tertius agitur dies dñe. Tho. Qua valetudine eſt præceptor tuus? Gui. Quum Gandauo decederem valebat ille quidem perbel-

le. Thomas. Iſtuc libens audio. Nō dubium eſt mihi quin ille te patriæ tuæ iuuenem egregie literatum reddiderit, ipſe literatiſſimus. Gui. Vt ipſe me laudem ac prædicem, hoc ille me nō docuit. Tu venerabilis domine ſi libet facito periculū, in literis, quantum profecerim. Tho. Quid igitur ille te docuit, quos poetas? quos tibi oratores enarrauit? Gui. Ante meridiem Vergilij Aeneida, horis pomeridianis Plinij ſecundi epiſtolas interpretabatur. Tho. Poetarum omniū præſtantiſſimus ille, hoc nemo in conſcribendis epiſtolis felicior fuit. Apud Vergilium quomodo præceptor tuus tibi enarrauit carmen illud primo æneidos: Vna cum gente tot annos bella gero, Et quiſquam numē Iunonis adoret, prẹterea aut ſupplex aris imponat honorem. Guil. Primum dixit vulgatam hanc eſſe lectionem, neque tamen contemnendam, dixit Iunonis exaggerari indignationem, ſi non ſolum ad Troianos & gentem Hectoream ſed alias quoque nationes referatur, hoc ſenſu: Niſi ſupplicium de Troianis ſumpſero, niſi eos perdidero, aut vltꝰ fuero, numen meum gentes omnes & nationes deſpicatiſſimum habituræ ſunt. Tho. Interpretationem iſtā ſemper & ego probaui, quanquam ſcirem alios pleroſque non indoctos viros aliter hunc locū enarrare ſolitos. Nunc dic illud mihi, an Virgilius recte Iunonē reginā faciat venire ad Aeolū ventorū regē multo ſe inferiorē? Gui. Poeta hic rationē habuit iratæ perſonæ q̄ nocendi occaſionē ꝑtermittere noluerit. Simul docet nonnūquam & inferioribus, & humilibus exhibendum eſſe honorem, ſi illorum opera indigeamus. Thomas. Idem poeta cum diceret:

Gens inimica mihi Thyrrhenum nauigat æquor.

Quare nõ dixit, Aeneas inimicus mihi. Guilielmus. Nomen Aeneæ propterea ſubticuit, ne reſponderetur ab Aeolo. Non audeo emiſſis ventis in Iouis nepotem ſæuire, cui vni hoc quicquid habeo imperij acceptum refero. Tho. Docte iſtuc reſpondiſti. Cur apud eundem Poetam Aeneas iam exorta tempeſtate iudicat ſe miſerum ac infelicem, quod ad Troiam non perijſſet? ita enim dicit. Me ne Iliacis occumbere campis nõ potuiſſet? Gui. Dolet vir fortis, quod in mari ac medijs fluctibus ſine gloria aliqua militari ſe videat moriturum, qui pro patria ſtrenue dimicans, nomen ſuum proſperitati commendare potuiſſet. Thom. An videtur tibi Vergilius recte Aeneam inducere ad cõſolandos Troianos ſuos poſt ſæuiſſimam illam tempeſtatem. Nonne potius debuit ad hoc eligere perſonam ab hoc mœrore ac triſtitia alienam? Gui. Si alienum ab eo mœrore hominem induxiſſet ad eos cõſolandos, reſponderi illud Terentianum potuiſſet. Tu ſi hic ſis aliter ſentias. Num cum a ſocio malorum participe adhibetur conſolatio, attentius auditur. Tho. In fine propemodum eius libri cur Dido regina cum diceret Adſit lætitiæ Bacchus dator, addidit & bona Iuno? Guilielmus. Quia haud ignara erat Iunonem Troianis inimicam eſſe, proinde vt bona ſit optat ac beneuola peregrinis. Thomas. Quum a Didonis cœna Tyrij cepiſſent choreas ducere, cur Poeta dicit Troianos potius ſequutos quam præceſſiſſe, & choream inchoaſſe. Guilielmus. Troiani quum ignorarent, quem agendi morem ſeruaret Dido regina, nullius nouæ rei authores eſſe debuerunt, ne quid offenderent,

Digitized by Google

ſed alios ſequi ex more facientes. Thomas. In Virgiliana lectione video te multum profeciſſe: quando ad hæc remotiora tam docte reſpondes. Quod ſi in Plinianis quoq; talẽ te præſtiteris, ea quidem te ſummæ ſpei adoleſcentem iudicauero. Gui. Si libet ad eundem modum Pliniana quędã proponito. Tho. Fiet, & primum ſuccurrit loc⁹ in epiſtola ad Caleſtriũ tyro lib. primo, vbi ſic eſt: Cur inquit, me putas hos tantos labores tam diu ſuſtinere? vt ſcilicet iſti latroni vel vno die ſupſtim. Quid Plinius hic innuit cũ dicit iſti latroni? Gui. Quidam ſentiunt Corellium, de cuius morbo eſt tota epiſtola de podagra loquutum, ſed longe aliter hunc locum pręceptor me⁹ doctiſſimus enarrauit, vt ſcilicet innuerit Plinio Corellius ſe optare tam diu viuere, donec interitum Domitiani videret, qui vt latro potius q̃ princeps auare nimis & crudeliter imperabat, deinde ſe Domitiano interẽpto libentius ex hac vita migraturum. Thomas. Iſta tua eximie adoleſcens oratio & memoria voluptate me afficit incredibili. Sequitur eodem libro epiſtola ad Sextitium quendam, vbi ſic legit. Paratæ erant lactucæ binæ, dic mihi quo ſenſu id legi debeat? Gui. Significat ſe vnicuiq; ad cœnam vocato lactucam vnam paraſſe. Tho. Quo tempore antiqui ſolebant apponere lactucam? Gui. Cœnæ principio. Tho. Quam ob rem? Gui. Ad ſtomachum excitandum. Sæpe audiui ex præceptore meo gentem eſſe quãdam, Hollandi vulgo dicuntur, qui lactucã in fine cœnæ ad menſam inferunt, quod hęc herba ſedare creditur ebrietatẽ eſt enim frigidior, & illis mos eſt potare in conuiuio prolixius. Tho. Sequitur de cochleis & ouis Gui. Cochleas domine nos limachas dicimus. Ad

dit oua bina, de ſorbilibus opinor loquutum, quæ dabantur ad cœnæ principium. Hinc Horatius de cantore Tigellio: Si collibuiſſet inquit ab ouo vſq; ad mala citaret. Tho. Præceptor iſte tuus tã eximia doctrina nihil ne ſacrarum literarũ te docuit? Gui. Fuit hoc quoque ſummo illi viro maxime curæ, vt ſimul cum eloquentia Chriſtum imbiberem. Tho. Quid igitur in diuinis literis tibi diſcendum propoſuit? Gui. Euangelium. Tho. Quid ſignificat igitur quod Chriſtus Petro nõ crediderit paſcendas oues ſuas, niſi ter ſe illũ amare profeſſo? Gui. Hoc indicat Epiſcopo nihil ſpectandum eſſe præter ſalutem gregis ſibi commiſſi. Tho. Quid apud Matthęũ cap. octauo vult illud quod Geraſeni, vbi miracula Ieſu conſpexiſſent illum rogauerunt, vt ſuis finibus excederet? Gui. Innuit hodie quoque permultos eſſe, qui taceri velint doctrinam Euãgelicam. Tho. Quia docet parabola ſeminantis in Euangelio? Guilielmus. Quod qui pręeſt alijs, nunquã ceſſare debeat a doctrina ſacra, etiam ſi non proficiat omnibus. Tho. Quid mariam repperit facientem angelus Gabriel, nunciaturus ei cõceptum ſaluatoris? Gui. Inuenit eam cœleſtium rerum contẽplationi vacantem. Tho. Cur angelo conſpecto expauit? Gui. Hoc erat virginei cuiuſdã pudoris ſignũ. Tho. Q_d nõ ilico reſpõdit q_d ſignificat? Gui. Erat hoc partim prudentiæ, partim modeſtiæ. Thomas. Interpretare hoc mihi quod angelo reſpondit: Fiat mihi ſecundum verbum tuum? Guilielmus. Fiat mihi, opto id mihi quã primũ contingere, quod promittis, & cum dicto cõcepit & habuit in vtero filium dei. Thomas. Quare Ieſus annos natus duodecim parenti ſubtrahens

Quæſtiones piæ.

ſeſe, templum ingreſſus eſt Hieroſolymis, vt cū doctoribus diſputaret? Gui. Vt nos interim ad diſcendi ſtudium accenderet, atque doceret nullā ætatem eſſe præproperam ad diſcendum ea quæ faciunt ad pietatem. Tho. Quum mater inuēto filio diceret. Ego & pater tuus dolentes quærebamus te, Cur fili ad hūc modum tractas nos? cur clam nobis hic manſiſti? Ioſeph quam ob rem tacuit? Gui. Ille ſciebat ſe nihil habere iuris in partum ſponſæ ſuæ. Tho. Hic finis ſit noſtro ſermoni clariſſime ſimulque feliciſſime iuuenis, ac perge ita, vt cœpiſti laudatiſſimis artibus incumbere. Me pro tuo in literas amore atq; profectu habebis omni tempore paratiſſimum, tuique ſtudioſiſſimum, ſi quid erit in quo noſtra opera tibi honori beneficioque eſſe poſſit. Gui. Ago tibi gratias vir doctiſſime, cui me totum dedo.

Colloquium Præceptoris & Diſcipuli.

Diſcipulus.

HVmaniſſime ſimul ac doctiſſime præceptor quandoquidem huc amandauit me vterq; parens meus, vt eloquētiæ ſtudeā, opus eſt mihi libris, quos ex cuius hominis conſilio potius q̄ tuo mihi coemam? Tu igitur nominare dignaberis autores qui in primis ad parandam verborum ſuppellectilē vtiles habeantur. Præ. Inter hos fili chariſſime primum ſemper locum Ciceroni tribuimus cuius epiſtolas omnium primum tibi mercaberis, quarum illaborata & illa, vt Fabius dixit, qua nihil pulchrius auditu eſt oratio præ ſe fert feliciſſimam facilitatem, huic ſi velis adiunges Plinij ſecundi epiſtolas, qui floridꝰ breuis, ſucculentus, vt alter ille dulcis, candidus,

copioſus eſt. ijs accedant Terentii comœdiæ, quibꝰ nihil cultius, nihil elegantius. Erunt & poetæ legendi, ſed præcipue Vergiliꝰ, & Horatiꝰ, ij quoque verborum optimam tibi ſuppeditaturi ſupellectilem, alter item traditurus optima & ſanctiſſima viuendi præcepta. Diſcipulus. Nullos ne ſuades emendos neotericos? Præ. Sunt in hijs q̃ lecti prodeſſe poſſint, maxime epiſtolarū ſcriptores, inter quos optimi ſunt & elegantiſſimi tres illi heroes, Angelus Politianus, Antonius Sabellicus, & Eraſmus Roterodamus: Cuius epiſtolarū proſtat ingens volumen. Diſc. Nunc in hiſtoria præceptor, quis tuo iudicio caſtiſſimus eſt? Præceptor. De tantis autoribꝰ equidem nihil audeo meum tibi impartire, Quintilianus Liuium Saluſtio præfert, Eraſmus noſter primū tribuit Cæſari inter hiſtoricos locum, & certe eſt huius ſermo inaffectatus & facilis vtrumque igitur legito ſed priores habeant in lectione partes commentarii Cæſaris, quibus diligenter perlectis aliquanto paratior ad Liuianam venies vbertatē. Diſc. Ita facere certū eſt eruditiſſime præceptor. Nunc igitur abeo, quos nominaſti autores mihi comparaturus, tu vale.

Colloquium Caroli & Franciſci.

Carolus.

SIT tibi felix exortus huius diei Franciſce perdilecte. Fran. Tantundem tibi reprecor Carole mi candidiſſime. Car. Eſt mihi filius annos natus vndecī, hūc optarim deinceps a viro & liberato & facūdo inſtitui ac erudiri ī literis melioribus quas video & hodie in ꝑcio haberi, & paſſim repullulaſcere. Fr. Quid tibi ī mētē venit amice

Quid nugaris, pereant, abeant in maximam ma-
lam crucem iſtæ meliores literę, quas vocas. Om
nes quos hęc tẽpora doctos habent, nonne vides
eſſe mendicos? Nõne Fauſtus Andrelinus, qui tot
ãnos Pariſijs docuit, nuper obijt, nuper exemptus
eſt rebus humanis ita pauper, vt ne teſtulam qui-
dem reliqueret cognatis & affinibus? Vt alios ta-
ceam innumeros, Eraſmus ipſe (vt intelligo) pau-
perrimus eſt. Et in quadam epiſtola ſua dicit ſe ita
familiarem habere paupertatẽ, vt vxor videri poſ
ſit, filios meos pendere malim, quam literis ope-
ram dare. Carolus. Miror te iſta loqui vir bone,
qui ipſe ſtudueris eloquentię, & pręceptorem ha
bueris Louanij egregie doctũ. Franciſcus. Vti-
nam ludos iſtos literarios, imo frontiſteria, vel pi-
ſtrina potius & carnificinas nunquam intraſſem.
Equidem magis probauerim, ſi aulicorum ac ge-
neroſorum filij eleganter ſonare gallicum ſermo-
nem, apte inflare cornu, canes alere, perite venari,
falconem aut accipitrem pulchre geſtare, aut ha-
ſtam vibrare aſſueſcant, hę ſunt artes quę vere no-
bilem deceant. Scholæ iſtę & gymnaſia relinquẽ-
da ſunt ruſticorum filijs. Carolus. Male tu qui-
dem ſentis meo iudicio. Vt non proſint tui ſimili-
bus, nam id tu ita vis eſſe, officiunt certe nihil bo-
næ literę. Quid illuſtriſſimo principi Ferdinando,
Auſtrię archiſtratego nocet quod literatus eſt, qui
latine nouit loqui, Henrico Anglorum regi cla-
riſſimo, num ad reipublicæ gubernationem impe-
dimento ſunt literæ & eruditio? Eſt enim ille tam
eruditus ac doctus, vt nuper cõtra Lutherum edi-
derit opus quod probari video a doctiſſimis qui-
buſque. Veteres illi principes fere omnes literati,
omnes docti filios ſuos bene inſtituendos curaue-

Digitized by Google

ſunt. Dicam & illud, ſi orator quiſpiam exterus ad regem mitteretur, & huic poſt habitam orationem eſſet reſpondendum, filius tuus qui apud regẽ erit, ita vt tu vis inſtitutus, nihil aliud q̃ cornu inflaret & ruſticorum filij quibus ſolis tu ſcholas & gymnaſia relinquis docti, & eloquẽtes vocarentur ad reſpondendum oratori, ac tuo filio, q̃ tantum venari, aut aucupari, aut falconem educare didiciſſet, longe præferentur in regis concilio. Fran. Iſtud quod dicis aliquid eſt ſi vbiq; latine reſpondendum ſit. At interim reſpondetur & germanice & gallice. Caro. Sed iſte ruſtici filius in authorum lectione verſatus, multo plerunq; & doctius, & copioſius etiam non latine ſi ſit opus reſpondebit, vbi venator tuus & anceps qui nunq̃ hiſtorias legerit, nullam habeat rerum præteritarũ cognitionem, duntaxat vulgo nota, & ſine artificio ſit dicturus. Fran. Ego tecum nolo rhetoricari. Nam eſt quod agam aliud. Quod ad filiũ tuũ attinet, facito vt lubet. Me ſuaſore nullus vnq̃ aulici ac nobilis filiꝰ viri ſcholam frequentabit, vt literas diſcat. Caro. Te igitur ſuaſore aulicorum filij nunq̃ ſapere diſcent. Rhetoricor

Colloquium Claudij & Ferrici.

Ferricus.

An prę ceptorẽ in Hollandiam abijſſe? Claudius. Iamdudum. Ferricus Dic ſodes. Claudiꝰ. Egomet hodie prima luce ad currũ perduxi. Ferric. Quam vellem vſq; ad Calend. Ianuarias perpetuam eſſe in mari tempeſtatẽ ne huc interea recurrere poſſit. Clau. Illud non poſſes eloqui ſi literas amares. Fer. Præceptor ipſe non peius odit caſeũ, cuius vt noſti nec

Digitized by Google

fert olfactum, quam ego literas odi. Clau. Vide ne olim iſtius te pœniteat. Ferricus. Quid ita? Quum alij plures, qui tecum in ſcholis verſati fuerint ob literaturam ac doctrinam erunt apud omnes in veneratione, tu velut idiota quiſpiā contemneris ab omnibus. Ferricus. Opes me, & amplæ facultates honoratiorem facient. Clau. Mihi videris Ferrice parum noſſe huius ſeculi ſtudia, vbiq; nunc prædicantur ac diſcuntur literæ, etiam in principū aulis, in pretio eſt eloquentia, & nunc aulici paſſim pro teſſeris in manib9 habent vel Ciceronis libellos, vel Eraſmi, quem non pauci tanquam alterum Ciceronem admirantur.

In aulis pricipum in pretio ſunt meliores literę.

Fer. Tu qui ſtudia iſta eloquentiæ tantopere prædicas atque extollis, ſtudeto ſi voles. Ego dum Tyrannus aberit noſter, nunc pila manuaria, nunc ſaltu, nūc globulari ludo me oblectare conſtitui. Clau. Non plagas metuis, ac verbera, quum redierit ille? Fer. Nihil minus. Curabo vt reuerſus a patre meo vocetur ad cœnam. Ita in gratiam facile rediero, ſi quid interim peccatum fuerit. Claud. Quid, tu ne exiſtimas paraſitum eſſe illum ac competam. Fer. Sic me docuit quidam, vulgus magiſtrorū placari ſolere. Mater mihi narrauit qđ huic ſcholæ magiſtrum præfuiſſe, quem diſcipuli, etiamſi illius ſellam cōcacaſſent placare potuerint cœnula vna, vel prandiolo, tam ſuaue erat illi alienum vorare cibum. Clau. Abi improbe in maximam malam crucem, qui tam loqueris contemptim de his quibus omnia debes. Audi quid de officio diſcipulorum Quintilianus dixerit: Diſcipulos id vnum moneo, vt præceptores ſuos non minus q̃ ipſa ſtudia ament, & parentes eſſe non quidē corporum ſed mentium credant. Multum hęc pietas

Quintiliani authoritas.

Digitized by Google

confert ſtudio. Verum quia tu non amas literarũ ſtudia, ergo nec præceptorem amare potes. Vnũ illud reſpõde mihi: Cur patrem tuum amas? Fer. Quoniam ille mihi ſuppeditat, quæ ad victũ & amictum pertineant. Clau. Si non eadem ratione prẹceptorem amas, qui animum tuum prẹceptis inſtruit viuendi, iſtud argumentum eſt te curare magis, vt corpore, q̃ aĩo valeas? At ego malim animo bene eſſe, q̃ corpori. Nunc tu ſi lubet adito ſphæriſteria tua: Ego ad libellos meos recurro, cũ quibus & iucundius, & vtilius fuerit, q̃ cum hoc nebulone diutius fabulari.

Ricardus & Antonius. Ricardus.

QVem quæſo vel oratorẽ, vel poetam præceptor ſtatuit vobis his contractiõibus dieb⁹ enarrare? Anto. Nulli adhuc certo ſcriptori nos admouit tradẽs interim quẹdã ex Laurentio prẹcepta, quæ ex oĩb⁹ elegãtiarũ libris ipſe magno ſtudio nec minore iudicio ſelegit. Ri. Cuperẽ & ego eadẽ videre. Sunt eñ mihi quoq; iuuenes aliquot eloquẽtiæ ſtudio deſtinati. An. A prãdio mittã tibi p hũc nebulonẽ meũ, ſed ea lege, vt ãte cœnã recurrãt. Ri. Imo ſub merendã ſi voles. Sed q̃dnã augurarís ſtatuiſſe interp̃tẽ vr̃m de p̃legendo autore latino? An. Nihil niſi quod freq̃ẽter in ſuis p̃lectiõib⁹ laudat nobis Eraſmi dialogos. Ri. Iſti minime placẽt q̃buſdã hoĩb⁹, in quos optime quadrat illud Terentianũ: Eſt genus hoĩm, q̃ eſſe ſe primos oĩm rerũ volunt nec ſunt. Anto. Iſtis nihil placet, niſi quod barbarum eſt, ac ſtilum habet

Dictũ Terentianum.

fratralem. Ricar. Sed ego id vnum vereor, ne dialogorum hæc ſylua excutiat e manibus iuuenum Terentij Comœdias elegantiſſimas. Anto. Longe aliter ego ſentio, prægustatis dialogis multo paratiores nos venturos ad lectionem Comicam.

Andreas & Franciſcus.

Andreas.

GRatulor tibi reduci ab vrbe Romæ Franciſce chariſſime. Franci. Et ego tibi incolumi gratulor Andrea humaniſſime. Andre. Quid tam cito recurris in patriã? quid cauſæ ꝙ non diutius Romæ ſis cõmoratus? Fran. Multa, primum nullus doctrinæ, nullus eſt illic virtuti locus, quot homines Romę, tot eunt per compita fures, lenones, ſtupratores, pedicones, raptores, ſacrilegi. Poſtremo deceſſit nunc Hadrianus pontifex huius nominis ſextus, qui ſi vita contigiſſet longior, primam laudẽ obtinuiſſet inter omnes laudatos põtifices. And. Hũc ego virum noui olim Louanij adhuc in minoribꝰ agentem, tum gymnaſij illius principem, nempe Cancellarium. Fran. Fuit hic vt audio in ſanctis literis, doctrina incõparabili, & quemadmodũ nulla largitione, nulla ſimoniaca labe interpoſita, ſed dei ſolius prouidentia ad pontificatũ euectus eſt, ita in conferendis ſacerdotijs nõ munera, nõ ſtemmata, aut claros natales, ſed virtutem ſpectabat. And. Apud nos rumor eſt cõſtantior, quam vt vanus credi poſſit, hunc veneno ſublatum eſſe. Quo luctuoſior his terris mors tãti viri eſſe debet, quæ non ex naturã, nec fatalis acciderit. Fran. Verum iſtuc eſt quod dicis mi Andrea. Hic Romanꝰ pontifex e vita ſic deceſſit, vt bonis omnibus deſidera-

Quonam pacto victitant romæ vrbis incolæ.

De adriano papa intelligitur.

bilem ſui ipſius reliquerit memoriam, qui vti ſpe ro nunc lætatur in cœlis, exultatque inter beatiſſimos ſpiritus. Reſtat vt ſummum illum ſacerdotem Chriſtum precemur, vt is eccleſiæ ſuæ prudentem gubernatorem, & ſanctum rectorem dare dignetur. Hoc nunc durante interregno, & conſultantibus cardinalibus deberent orare dies noctesq; principes cæteri, quorũ ſalus omnis in Romanæ ſedis ſalute continetur. Andre. Iſti non modo non orant, ſed turbari potius ac miſceri omnia cupiunt, & nullum eſſe caput eccleſiæ. Fran. Sed quid illud, quod audio quoſdam aſtrologos prædixiſſe ſub annum viceſimum quartum, qui nunc in limine eſt finẽ habiturũ pontificis Romani imperium, & iactitant quidã verſiculos duos ꝓ vaticinio repertos in codice antiquiſſimo. Sic habet illi. Interregnũ

Papa cito moritur, Cæſar regnabit vbiq;,

Et ſubito vani ceſſabunt gaudia cleri.

Andre. Non poſſum non ridere te, qui iſta credas, ego non magis credo, q̃ ſi nugiuẽdi iſti mihi promittant fore vt proxima nocte ſub puluino meo ingentes auri maſſas inueniam. Haud videris mihi legiſſe, quæ Cicero de iſtis impoſtoribus ſcribit in hæc verba: Non agnoſco idcirco aſtrologos, nõ iſiacos, non coniectores, non ſomniorum interpretes. Non enim hi aut ſcientia, aut arte diuini, ſed ſuperſtitioſi vates, imprudenteſq; harioli, aut inertes, aut inſani. Proinde ꝑmittamus hæc cœlitibus. Tu niſi alio reuocãt negotia tua, cœnabis apud me hodie. Franciſcus. Quanq̃ ſum occupatus tamen quod petis faciam ea lege, vt tu cras mihi te ſocium itineris præbeas. Andreas. Quo iturus? Franci. Ad patrem meum, cuius incredibili teneor deſiderio videndi. And. Ibo tecum vna. Dictũ vulgare & feſtiuum.

Digitized by Google

Balduinus.

VBi pater eſt tu⁹ mi Thoma? Tho. Iam biduũ abeſt oppido, ſed cras aderit ſpero domi. Nã venit hodie Gandauo vir quiſpiam doct⁹ atq; egregie facundus, cui fratrẽ meũ iuniorem in diſciplinã tradere ſtatuerit. Bal. Quis ille quæſo eſt vir doctus? Tho. Petrus Scotus ille, noſtin hominẽ? Bal. Tanq̃ te, conuixi enim huic trienniũ totũ. Tho. Quid is igitur te docuit? Bal. Primũ, vt nihil Chriſto chari⁹ haberẽ, totus ab illo pẽderem, illi fiderem, parentẽ vtrũq; colerem, & huius loco præceptores meos haberẽ, nihil mentirer, nihil ſufurarer, nihil in ore ac labijs haberem, quod ab aĩmo diſſideret, ꝓpterea ſermonem eſſe datũ hoĩbus, vt ſibi mutuo ſignificent, quod aĩo ſentiunt. Diligerem ꝓximũ meũ ſicut meipſum. Nihil alteri facerem, quod mihi fieri nollẽ. Conſortia malorũ, tanq̃ peſtem quandã vitarẽ, bonis ac ſtudioſis ęqualibus me adiungerem, deniq; literas meliores atq; eloquentiã iuuenis diſcerem. Tho. Ad iſta multo ſaluberrima pręcepta bene adiecit, illud de bonis literis, nam ſtudia hęc vt Cicero dixit adoleſcentiã agunt, ſenectutem oblectant, ſecũdas res ornant, aduerſis perfugiũ ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinãtur, ruſticantur. Bal. Non ille quemadmodũ vulgus magiſtrorũ facere ſolet, ferulis, virgis, loriſq; conſcindit fidei ſuę concreditos pueros. Non plagoſus eſt Orbilius, ſed laudibus excitat, premijs, quibus ætas illa capitur, inuitat & euocat. Huius viri ſchola mihi puero nihil aliud viſa

Ciceronis authoritas grauis ac præclara.

eſt,q̃ ludus quidam, & iucundiſſimi certaminis locus. In authoribus enarrãdis hoc nemo felicior, nemo facilior, cumq́ sit doctiſſimus, tamen ſubmittit ſe ad menſuram diſcẽtium. Thomas. Hoc maximum eſt. Prima enim virtus eloquẽtię perſpicuitas, & multi hodie præceptores nolũt ad intellectum audientis deſcendere. Quamobrẽ gratulor hunc fratri meo præceptorem, in cuius ſchola nihil ſit auditur⁹, quod audiuiſſe pœniteat. Bal. Audiet ea quibus & eruditione ornatior, & vita melior euadere poſſit. Vnum tu curabis, vt pater hunc virum ſibi familiarem amicum habeat, ita fiet vt præceptoris tibi amico gratificari cupientis, ſtudio ac diligentia adoleſcens magis proficiat. Ri. Credo ſic eſſe, & operam dabimus, vt huic doctiſſimo gymnaſiarchæ frater noſter inſtituendus tradatur.

Henricus & Iodocus.

Henricus.

QVid iſtud ornati eſt mi Iodoce? quid ſibi vult tã breuis tunica? Quid rubrũ pileũ, rubra item tibialia? An ex ſcholaſtico mercator factus es? Iod. Nihil erras Henrice. Henricus. Non maluiſti in otio literarum dulciſſimo, atq́ inter ſtudiorum ſocios iucundiſſimos adoleſcere, q̃ ſic terra marique volitare, iuxta illud poeticum.

Per mare, per terra currit mercator ad Indos.

At plerũq́ ſubito coorta inter nauigandum tempeſtate, & nauẽ iactantibus auſtris de vita periclitari? Iod. Multo magis iſtæc placebat vita literaria. Hen. Cur igitur mutaſti? Iod. Huc me adegit præceptoris, cui me pater cõmiſerat ſæuitia. Quoties ille me virgis ac loris cõſcindebat immerẽtẽ, nec

magis parcebat natib⁹ meis, q̃ corio bubulo. Vbi nullum is in me ſæuiendi finem faceret, ego non odio literarum, quas ſemper amaui, ſed vt man⁹ tyranni illi⁹ effugerem, in patriam redij, patrem obſecraui, vt mihi liceret alio ad mitiorem aliquē præceptorem concedere, verum ille exiſtimās nihil eſſe minus mihi, q̃ ſtudium cordi, me huc amādauit, vt artem mercatoriam diſcerem. Hen. Præceptorem illum dij deæq; omnes perdiunt, qui te ſua tyrannide in has præcipitauit erumnas. Eo te noui eſſe ingenio, qui ad frugem aliquam in literis peruenire potueris, ſi humanior quiſpiam cōtigiſſet præceptor. Nunc mi Iodoce quo pacto viuis inter mercatores? Iodo. Ego quidem nullius adhuc mihi iniuſtitiæ conſcius ſum, ſed vereor ne cum quibus quotidie cōgredi neceſſe eſt, morum aliquam ſcabiem nobis affricent. Hen. Id ne fiat melioribus te adiungito. Sunt enim & in hoc genere hominum boni complures. Iod. Ita ſi fecero non diteſcam, in hoc enim ordine quo quiſq; improbior, hoc citius ad magnas ꝑuenit opes. Hen. Sic diteſcere perire eſt mi Iodoce. Præſtat hic pauperem & modicum eſſe, vt cœlum diues ingrediare. Iod. Vera loqueris, & ego quoad licebit parere conabor tuis iſtis saluberrimis monitis.

Philippus & Iacobus.

Philippus.

QVid tu media hyeme Louanium venis? Iaco. Venio ad curanda negotia cuiuſdam amici. Phi. Cuiuſmodi ſunt negotia? Iac. Forenſia. Phi. Quæris igitur aduocatum? Ia. Quæro, ſed peritum noſtratū rerum. Phi. Hunc tibi facile commonſtrauero, ſed

prius oportet expuas aureos aliquot denarios,hic enim nemo gratis patrocinatur. Iac. Quid ſi nõ habeam? quid ſi miſſurum promittam? Phi. Nihil egeris niſi præſente nummo. Iac. Re igitur infecta erit mihi redeundum? Phi. Plane. Iac. Quid amico illi reſpondebo, qui me huc miſit? Phi. Vt ſi recte curari ſua velit negotia, te remittat cum differto marſupio, non eſſe hic minoris venales cauſidicorum linguas, quã ſunt alijs in locis. Iac. Iſtos hoĩm expilatores magnꝰ ꝑdat Iupiter.

Colloquium Ludouici & Hectoris.

Ludouicus.

NIhil iam diu audiſti de Ioanne Barbirio congerrone noſtro mi Hector, vbi terrarum agat? quid rerũ gerat? Hect. Audiui eſſe eum Louanij, & in ea ſchola conuiuere eximio illi theologo Martino dorpio. Lud. O felicem adoleſcentem, qui quidem in eam venerit domum, vbi nihil niſi ſanctum, nihil niſi eruditum ſit auditurus. Hector. Heſterno die miſit is mihi ſtrenulam ineuntis anni. Ludo. Quidnã dic rogo, Hect. Membrana erat in qua depinxerat quidam tres illas deas inter ſe de formæ præſtantia ſerio contendentes. Ludo. Huiuſmodi ſtrenula magis conueniebat donari puellarũ amatores, ꝗ ſcholaſticũ & aſſidue libris affixum hominẽ. Hect. Nõ id dicas, ſi ſcias quo id conſilio fecerit. Lud. Audire percupio. He. Vt Iunoni ac Veneri Mineruam velut alter Paris præferrẽ, quanto quæ hæc Troiano Paridi in cer-

tamine promiſit meliora ſunt ac præſtantiora di-
uitijs quas Iuno, & pulchra coniuge, quàm Ve-
nus promiſiſſe traditur. Lud. Tu igitur quando
quidem beneficium beneficio penſandum, quid il
li remiſiſti? Hect. Conatus ſum equidem remu
nerare beneficium, niſi ille extruſo in hoc a ſe pue-
ro iniunxiſſet ne quicquam reportaret, quod ſi fe-
ciſſet fore vt reuerſus, domo exturbaretur herili.
Lud. Iſtud haud tibi diſplicuit ni fallor, qui ſole-
as accipere multo libentius quam dare.

Colloquium Rumoldi & Chriſtiani. Chri.

Quis cubiculi fores pulſauit? Ch.
Chriſtianus vetus ille congerro
tuus. Ru. Cuius tu rei gratia
tam profunda veſpera nos adis
mi Chriſtiane? Chr. Præceptor
huc me miſit, qui te ad ſtudium
hortarer eloquētię, is multo fert
ęgerrime te tam ignauum eſſe, de cuius ingenio
maxima queq; ſibi pollicebatur, in tota ſchola ſua
dicit non eſſe alium æque a literis alienum. Ru.
Studere non poſſum, quando ille me tam frequen
ter obiurgat. Ch. O cæcam pueritiā, non vides
miſer iſtuc facere ſuorum amantiſſimum præce-
ptorem vt te excitet vt accendat, vt ad meliorem
mentem reducat, quid ſi ille quod faciunt plagoſi
iſti Orbilij, quotidie cederet, raperet, tunderet ver
beribus ac minis excarnificaret. Ru. Conſtat hac
via non paucos iuuenes odiſſe citius q̄ amare ſtu-
dia cepiſſe. Chr. Tu igitur chariſſime Rumolde, Amica adulatio.
præceptorem nactus tam eruditum tamq; huma
num, fac reſipiſcas. Nunc dum viret ætas, dum flo
rent anni, compara tibi virtutem, ſcientiam, ac bo
nas artes, hę ſunt illę diuitiæ, quas nec tempeſtas

adimere, nec ignis exurere, nec vlla vis hominum
eripere poſſit. Cætera omnia quæ poſſidentur in
terris fluxa, fragilia, & caduca fortunę bona ſunt.
Non ſit graue, non ſit moleſtum annos aliquot la
borem hunc ſuſcipere, qui ſolus Maronē illuſtra-
uit, Ciceroni, & Saluſtio, Plinijs famā dedit. Luca
num, Ouidium. Perſiū, Iuuenalem, tot poetas cla
ros fecit, vt philoſophos taceam, quorū tota, quis
longa vita, nihil aliud q̄ clar⁹ ac delectabilis labor
eſt. Ru. Tuus iſte ſermo Chriſtiane ſuauiſſime
ita me pungit, afficit, rapit, vrit, inflāmat, reliquit
ſcintillas & aculeos quoſdā in animo meo. Quā
ob rem ago tibi immortales gratias pro tam ami
ca admonitione, deinceps ita ſtudijs facundię inui
gilaturus, vt minime fruſtra nos adijſſe videaris.
Ch. Si ita in animum induxiſti tuum, quęſo vt ſu
peris bene fortunantibus abſoluas qđ aggrederis.

Colloquium Ambroſij & Ricardi. Ricardus.

Salue iterum atque iterum ſoda-
lis optime. Am. Et tu ſalue per-
petuum Ricarde, vnde venis? Ri.
E foro vbi librariæ viſuntur offi-
cinæ. Am. Præceptor vbi eſt?
Ri. Apud Gaſparem bibliopolā.
Am. Non longe abeſt, recurra-
mus in ſcholam, ne nos hic pro foribus impruden
tes opprimat. Ri. Melius eſt, ſed nimis cupio no
bis hodie contingere ſcholarum ferias. Am. Pla-
gæ citius contigerint, ſed cur quæſo ludendi & Septimana
exeundi hodie tam cupidus es, cui hac ſeptimana
bis in agros compaſcuos excurrendi copiam fece-
rit doctoris benignitas? Ric. Oppidi præfectus
ante tertiam horā deducet quēpiā ad ſupplicium.
Amb. Quodnam ob factum? Quid is fecit, Ri.

Fores effregit, atq; in domū irruit alienam. Am
bro. O te durum atq; crudelē, qui ſpectaculo ca-
piare tam triſti. Ric. Multis eſt vtile nonnunq̃
interfuiſſe aliorū ſupplicijs. Nam deterriti exem-
plo, a furtis, a parricidijs, a ſtupris tēperant. Am
bro. Eſt magis laudabile, ſi quis virtutis amore
temperet a malefactis. Oderunt, inquit Horatius
peccare boni virtutis amore. Ric. Nihil igitur ti
bi videtur, ſi quis formidine pœnę nō peccet, alio-
qui ſi ſperet fore clam ad ingeniū rediturus. Am
bro. Equidem non damno iſtuc, ſed alterum ma
gis probo. Ric. Heus tu mi Ambroſi, nihil vltra
continendus eſt ſermo. Eccum præceptorē. Am
bro. Vbi eſt? Ri. Nunc præterijt ædes pōtificis.
Amb. Væ tuis natibus, ſi non bona fide concredi
tos tibi Aeſopi apologos reddideris. Ric. Ne ri
de. Tu enim non minus periclitaris, qui in eadem
es naui. Sed exhibe vultum grauem aduenienti ac
ſi de literis colloquuti hic ſimus diutius.

Horatij au-
ctoritas præ-
clara.

Sermo io-
cundus.

Colloquium Frederici & Xenophontis.

Fredericus.

VNDE fit, vt ſacerdotes quo
plus habēt, hoc plura cupiāt.
Xe. Creſcit amor nummi
quātū ipſa pecunia creſcit:
vnde videre eſt quoſdam eſ-
ſe decies canonicos, ac toties
paſtores, quorū ſacerdotio-
rum tā vberes plerunq; ſunt
ꝓuētus annui, vt inde trigin
ta poſſint ali ſacerdotes. Fre. Quid iſti de ſe fu
turum putāt? Xe. Vt poſtq̃ annos aliquot ſua-
uiter vixerint, recta in cœlum demigrent, ſi ex ſa-
cerdotijs, quo iure, quaque iniuria quæſitis pota-

Dictū gra-
ue.

Digitized by Google

tiunculam aliquam relinquant pauperibus atq; egenis, quibus ne teruntium quidem in vita dederint. Frede. Sic illi ſe credunt ſatiſfacere Chriſto? Xe. Ita. Fre. Quanto ſum ego felicior, qui facultatibus mihi a patre relictis contentus viuo, & nihil tale ambio. Xe. Non potes tu equidē ambire obſtante domi vxore. Fre. Quid ita? In Germania ſuperiore preſbyteri ſaluis præbēdis & canonicatibus etiam vxores ducunt. Xe. Abſit, vt illorum facta nobis in exemplū vocemus, faciunt hoc illi contra Sanctæ Romanæ eccleſiæ decreta, quibus non parere eſt impium. Fre. Illi impium & iniquum exiſtimant, ſi quis pareat. Xe. Suo periculo exiſtimant, olim impietatis ac rebellionis ſuæ pœnas luituri, quum ſummus ille & immortalis pōtifex terram venerit iudicaturus. Hæc erit mors æterna, quæ manet omnes, qui ab eccleſia Romana deſciſcunt.

Colloquium Stephani & Remigij.

Stephanus.

O Te felicē Remigi, vt qui ſis natus his temporibus, quibus literæ meliores vbiq; feliciſſime reuiuiſcunt. Nullū fere eſt oppidum eximium quod nō habeat vnum aut alterum eximie doctum iuuētutis moderatorem. Re. Sic habet Stephane humaniſſime. Sed nuſquam deſunt veteris inſcitiæ propugnatores, quorum alij in concionibus, alij in foro, in conuiuijs & compotationibus, alij bonis lateribus in bonarum literarum cultores declamitāt. Ste. Iſtiuſmodi ranas & habuit, & ſemper habebit orbis, a quibus vituperari laudari eſt. Nihil harum coaxatiōes bonis literis offecerint, quas hoc tempore non modo vulgus, ſed &

Dictamen feſtiuum.

vrbium primores, aulici, proceres, præſides, & re
ges amare incipiunt. In Anglia fauore principis
regnant bonę literę. Terentiū atque id genus ſcri
ptores comendę linguę gratia, ita paſſim circunfe
runt illic aulici, vt Henrici Octaui, qui nunc flore
tiſſimę præeſt inſulæ regia, nihil aliud q̃ ſedes, &
arx eſſe videatur optimorum ſtudiorum, his duci
bus, his prę ſidijs freti, nonne fortiter contēnemus

Phariſęi & Scribę.

phariſeos iſtos, & ſcribas, qui ſoli oderunt, quibus
ſolis inuiſę ſunt bonę literę? Re. Vere dixiſti pha
riſęos, aut enim pertinaciorib⁹ odijs quondā pharį
ſęi in Chriſtum conſpirarunt, q̃ iſti in omnes lite
rarum profeſſores conſpirant. Ste. Tanto maio
ribus animis nobis incumbendum eſt in ſtudia lati
nitatis, & eloquentię, ſine qua cæca omnis doctri
na eſt & illiberalis, bona ſpes habet animum me
um, propediem futurum. vt quemadmodum Ci
cero philoſophiam latinis literis illuſtrauit, ita co
tingat cæteris quoq; diſciplinis, & iam theologiæ
quantum acceſſit eloquentię per Eraſmi ſcripta?
Re. Eximij profecto viri, quique nunquam mo

Hic mire laudatur Eraſmus.

riatur digniſſimi. Ste. At multi non probant hu
ius ſcripta in ſacris literis, ne paraphraſes quidem,
quibus mea ſententia nihil ſanctius, nihil ad recte
viuendum eſt conducibilius. Re. Hęc mihi tecū
conueniunt. Tecum ſentio de paraphraſibus opti
me Stephane. Cęterum quod ad ſcripta huius vi
ri incomparabilis attinet ea latius in memoria ho
minum & ſermone verſabuntur, poſtquam ab
oculis receſſerit, poſtquam vitam cum morte cō
mutauerit, quamquam vt dixiſti modo digniſſi
ſimus eſt, qui nunquam occidat.

Diſcipulus,

AVE pręceptor obſeruande, huc acceſſi, vt ſi per tua tibi liceat & priuata, & publica negotia me doceas, quæ ad illuſtrem hiſtorię ſcriptorem Suetonium leguntur de rebus geſtis Iulij Cæſaris. Neſcio enim quo modo ſemper fuerim cupidiſſimus ea cognoſcendi, quæ vir ille in vita ęgerit. Pręceptor. Hæc ex ipſo Suetonio aliquanto cõmodius didiceris. Diſcipulus. Non ita mihi videtur humaniſſime pręceptor, loquuntur quidem libri nobis, ſed dubitantibus non ſatis commode reſpõdent, deinde altius inſident animo, ac hęrent tenatius, quę audieris, quam quę legeris: & tu ipſe nos docuiſti, vt quoties viuæ vocis data eſſet copia libentius auſcultaremus, quam legeremus. Præceptor. Tuis iſtis tam doctis rationibus vnice delectatus non poſſum tibi non morem gerere Tu arrige aures Pamphile. Primum hic Iulius facundiæ ſtudia ſic adamauit, vt relicta Italia Rhodum ſecedere ſtatuerit, operam daturus Apollonio Moloni optimo tunc, & longe clariſſimo dicendi magiſtro. Apud Herculis templum in Hiſpania magni Alexandri conſpecta imagine, ingemuiſſe traditur, quum meminiſſet, in qua ætate Alexander orbem terrarum domuerat, nihil adhuc a ſe geſtum, ac perpetratum eſſe memoria dignum, Galliæ pars maxima ab eo in

prouintiæ formam redacta, Germani maximis affecti cladibus, Victi & Britanni, gens antea Romanis ignota. Obſeſſus Pompeius, idemq; ad extremū pharſalico prælio fuſus, debellati poſt ea & liberi Pompei in Hiſpania, faſti ab eo correcti, Annus ad curſum ſolis accommodatus, Medici & liberalium artium doctores ciuitate donati vt ſic & ipſi libentius Romæ habitarent, in iure dicendo laborioſiſſimus fuit ac ſeueriſſimus, legem ſumptuariam præcipue exercuit. Ius ciuile ſtatuerat ad certum modum redigere ex illa immenſa & diffuſa legum copia, optimis quibuſque & neceſſarijs in libros collatis pauciſſimos. Hęc & alia quædam non fecit morte præuentus. De libris ab eo conſcriptis legito Hadriani Barlandi opuſculū quod de doctis ac literatis principibus inſcribitur. Dixi de rebus ab eo geſtis, nunc qui mores fuerūt audies. In agmine ſæpius anteibat capite detecto ſeu ſudum eſſet, ſeu turbidum cœlum. Militē probabat a viribus tantum, cui nunc ſeueriorem, nūc indulgentem ſe præbebat. In deſertores ac ſeditioſos grauiſſime ſemper animaduertit, bonorū militum ac ſtrennuorum nullus vnquam princeps fuit amantior. Amicos item & ſumma facilitate & indulgentia tractauit, quorum vni in diuerſorio ęgrotanti loco ceſſit, ipſe interim humi ac ſub diuo quietem capiens. Ad quamlibet graues etiam ſimultates deponendas paratiſſimus, vbi oblata eſſet occaſio, In vlciſcendo quoque nihil eo lenius. Ad poſtremum tum in adminiſtratione, tum in victoria belli ciuilis clementiam exhibuit admirabilem. Hæc habui præclare adoleſcens, quæ tibi impartirem de Iulio. Cætera cognoſcees ex ipſis autoribus. Diſcipulus, Maximę tibi a me agun

tur gratiæ præceptor eloquentiſſime, cæterum vt tu occaſiones me tibi obligandi auidiſſime amplecteris, ita & ego mortalium nemini libentius debeo, q̄ tibi. Sed priuſquam a te diſcedam, quē audire iucundiſſimum eſt. Rogo fac intelligā, quid ſentias tu de Plauto atq; Terentio Comicis, Nam audio quibuſdam egregie laudari Plautum, alij præferunt huic Terentium. Præ. Nec ego dubitaui vnq̄ Plauto præferre Terentium. Diſc. Cuiuſmodi igitur tibi videtur iudicium illud Volcatij Sedigiti apud Gellium in Noctibus, Plautum Terentio præferentis? Præcep. Certe ille mihi omni prorſus ſenſus caruiſſe videtur. Plaut⁹ durior eſt, & aſperis paſſim, atq; obſcuris vtitur verbis, Terentio nihil eſt cultius, lenius nihil, elegantius nihil, vt interim taceam hiare nonnunq̄ nec ſatis cohærere Plautinas Comœdias? Tum decori, quod vbiq; tantopere cuſtoditum videmus Terentio, q̄ ſæpe obliuiſcitur Plautus, deinde ſales illis, quos vndiq; colligit, q̄ plerūq; hebetes ac ſcurriles ſunt quum nihil videas in hijs Terentio venuſtius, atq; vrbanius. Diſci. Nunc ego qui hactenus Plautinæ phraſis admirator maximus fui, te autore præceptor incipiam non modo legere ſed ad verbū quoque ediſcere Terentij fabulas, Tuum enim de Latinis Comicis iudicium multo pluris, vt par eſt, facio, q̄ Sedigiti Volcatij quicunq; fuit ille.

Aegidius & Philoſophus.

Aegidius.

D[illegible]lus eſt mihi frater. Philoſo. Rara hæc auis eſt. Aegi. Frater mihi eſt optim⁹ Phi. Nondum fortaſſe bona patria diuiſiſtis. Quod ſi quando defunctis parentibus faciundum erit, ibi demū

erumpet iniquitas tum illæ turbæ fient. Aegid. Fratre meo nihil eſt melius. Philoſo. Ille non te fortaſſe, ſed cœlibatum tuum amat. Aeg. Amantiſſimus mei frater eſt. Philoſo. Eſt ita viuendũ, niſi cupiditas obſtaret, ac ſitis habendi. Aegi. Fratri vnice charus ſum. Philoſo. Hunc amicum tibi fac ſerues mutuo amore, officijs ac pietate. Aegi. Sunt & ſorores mei amantiſſimæ. Philoſo. Cura vt illæ quoque te ſui amantiſſimum fratrem habeant, ita fiet vt exempto rebus humanis communi patre, orbatas ſe parente non ſentiant. Aegi. Formoſiſſimæ ſunt mihi ſorores. Philoſo. Tanto magis vigilandum eſt tibi, Ad tutandam enim pudicitiam res inutilis eſt forma. Aegi. Sorores habeo venuſtiſſimas. Philoſophus. Stude ne diutius habeas, virginea caſtitas nulla melius arte q̃ maturo ſeruatur coniugio.

Colloquium Conradi & Henrici.

Henricus.

PRecor vt tercentũ meſes, tercentum luſtra videas mi Conrade. Con. Et ego tibi precor tam longum viuere numeros vt pulueris æques. Henr. Nunquam tam mane, neq; tam veſperi hac hyeme, quin te libris affixum & chartis inueniam, aut ſcribentem, aut legentem aliquid. Con. In hoc me parens ablegauit ad hanc florentiſſimam Academiam, vt ſtudendo eruditior euaderem, atq; ita & melior, & humanior domũ reuerterer. Fere enim ita euenire videm⁹, vt quo quiſq;

doctior ac eruditior eſt, eo ſit & humanior, & tractabilior. Ea non dico ſophiſticę, quę Pariſij, & alijs quibuſdā in ſcholis docetur, Sed literarum vis eſt, vt barbaros emolliat animos. Hen. At alij magis ſtudēt vt pecunia, ſacerdotijs, aut agrorū latifundijs diteſcāt. Cō. Nihil me mouet iſtorū exemplum, Velle ſuum cuiq; eſt, nec voto viuitur vno, alius alia ſtulte optat ſibi contingere, adeo vt vere poſſim exclamare, Dij boni, q̄ multiplex eſt hoīm ſtultitia, quā inanes cogitationes, quantū vanitatis in vita? Si lubet ridere, narrabo tibi quid Romę acciderit quodā die in cōuiuio. Hen. Narra quęſo Con. In hac vrbe tam ſacra cōpotabant ęquales aliquot, Vbi iā vino incaluiſſent, alijs p̄rimonia amplisſima, alijs optātib⁹ ſacerdotia, alijs deniq; alia cupientib⁹ ſibi deorū immortaliū fauore ac benignitate contingere, quidā cęteris feſtiuior, Ego, inquit, nihil optarim aliud, q̄ aſinus fieri. Nam Romæ ſacerdotia ac diuitiæ ſolis contingunt aſinis. Henri. Nihil me Hercule potuit neq; dici verius, neq; feſtiuius. Con. Nuſquā illuc audiſſes vel Pyrrhi vel Darij, vel Auguſtini votum, vel in diuinis literis iuſti illius Simeonis. Hen. Tu me cuiuſmodi fuerint horum vota quęſo edoceas, memoratu enim digna mihi dictur⁹ videris. Con. Pyrrhus nō regna, non victorias, non opes, ſed a dijs comprecatus eſt ſanitatem. Darius oblato ſibi malo punico, tot ſibi zopyros optauit, hoc eſt ſapiētes, quot illic ineſſent grana. Diuus Aurelius Auguſtinus tria legitur in votis habuiſſe. Vidiſſe Chriſtum in humana natura, & in terris verſantem cum hominibus, Paulum dę pulpito fulminātem, & ſpectabiles vrbis Romæ triumphos. Deniq; Simeon ille iuſtus, vereq; pius ac religioſus votis ardentiſ-

Vergilius. Simeon.

Digitized by Google

ſimis rogauit dominum, vt ſibi ante mortem contingeret intueri, tot iam ſeculis expectatum Meſſiam, quo viſo corporalibus oculis, Nunc ſatiſfactum eſt inquit, domine votis meis, Nunc lubens ac lætus moriar. Hen. Quam ſunt hæc ab illis diuerſa, quæ dixiſti modo, & cuperem huiuſmodi plura ex te diſcere, ſed nunc venio vt iuſſu parentis vtriuſq; te vocem ad cœnam. Conr. Cuiuſmodi eſtis habituri conuiuas? Henri. Tui ordinis ac profeſſionis omnes, nimirum ſtudioſos ac literatos. Conr. Puerum expecto meum, qui ſimulatq; redierit a negocio, quod tranſigẽdum ſuſceperat, recta conſequar. Ita parenti fac vtriq; renunties. Henr. Renunciabo, ſed tu vide ne ceſſes. Con. Nõ fiet, reliquos conuiuas nihil morabimur.

Colloq. Mariti vidui, & Philoſophi.

Maritus viduus.

RVrſus vxorem ducere cõſtitui. Philoſo. Iſtuc ne cogitares quidem, ſi legiſſes quæ modis omnibus maximi viri de mulierum ingenijs memoriæ, ac literis prodiderũt. Viduus. Ad ſecundas nuptias animum adieci. Philo. Si primis nuptijs domari non potueris, iam ad ſecundas trãſito. Si nec illæ te domuerint, appetes & tertiam vxorem. Viduus. Sine vxore non poſſum viuere. Philoſo. Qui ex prima vxore liberos habet, his nouercam ſuperinducens, non aliud agit, q̃ ſi manibus ſuis in proprias ædes incendia mittat. Quam multos no-

Notatu dignum.

uercalibus odijs domus ſuæ tranquillitatem tur-
baſſe compertum eſt? Quid enim eſt aliud mari-
talis vita, & præſertim cum ſecũda vxore, quam
continuæ rixationis alimonia & litigiorum nutri
cula. Proinde ſi continere non poſſem, niſi diuina
id lege vetitum eſſet concubinam citius quam ſe-
cundam vxorem admiſerim, ac proli nouercã ad-
duxerim. Viduus. Nota vxore mihi eſt opus. Phi
loſo. Os durum atq; indomitum, ſi ad te frenan-
dum coniugio eſt opus altero. Viduus. Sine vxo-
re mihi grauis eſt vita. Philoſo. Age age dum vi- Lepidus
get adoleſcentia, vbi hæc deferbuerit ſcio dolitu- ſermo.
rum. Neſcis miſer, neſcis q̃ ſit dulce in vacuo dor
mire cubili.

Anſelmus & Præceptor & Petrulus.

Anſelmus.

GRatulor tibi reditum e ſolo
natali præceptor humaniſſi
me. Præce. Habeo gratiam
Quomodo ſe habẽt res do
mi? Anſelmus. Varie. Præ.
Quid ita? Anſel. Iam tri-
duum totum graui morbo
laborauit puer ille, qui nu-
per adductꝰ eſt ex Ganda-
uo, Petrus Herlemus domum ſe recepit ob ma-
tris aduerſam valetudinem. Præcep. Nemo acceſ
ſit meorum numero? Anſel. Duo acceſſerunt ex
Mechlinia. Præce. Cuius filij? Anſelmus. Patrem
aiunt magiſtratum eſſe in eadem vrbe. Præcep.
Quis eos adduxit? Anſ. Vir quiſpiam natu gran
dior, cana barba, canoq; capillitio, quem hypodi-
daſcalus tuus in cœnam adhibuit, humaniterque
tractauit. Præcep. Benefactum. Anſel. Præterea

Digitized by Google

venit alius ex Antuerpia, qui ancillæ tuæ pro an-
nuo victu cognatuli ſui adnumerauit coronatos
triginta. Præce. Ancilla vbi nunc eſt? Anſel. Mo-
do abijt ad forum emptura piſciculos tibi in cœ-
nam. Præ. Abi tu ocyus atq; eã reuoca. Dicito ni-
hil opus eſſe, vt quicq̃ emat, Nam cœno foris. Sed
vñ nobis Petrul⁹ nr̃? Pet. A foro p̃ceptor. Gaudeo
te rediiſſe. Præce. Credo, ſed magis gauiſurus for-
taſſe ſi quis renunciaſſet me diutius abſuturum.
Sed tu interea q̃ ſtrenuum te militem præbuiſti
palæſtra literaria? Pet. Sic ſtrenue militaui, vt du-
as abſente te edidicerim Terentij Comedias. Præ-
cep. Quas? Petru. Eunuchum atque Adelphos.
Præce. Vtriuſq; igitur inſcriptionis rationem te-
nes? Petru. Teneo præceptor. Præcep. Quid igi-
tur ſignificat vocabulum adelphi? Petru. Hæc di-
ctio pluratiua latine ſignificat fratres, hoc inditũ
eſt nomen Comœdiæ a duobus fratribus Mitione
ac Demea, quorum hic durus ac ſeuus, ille mitis
atque indulgens pater Terentio inducitur. Præce.
Nunc tu mihi chariſſimus es diſcipulus, atque ob
hãc tam ſtrenue nauatam operam tibi permitto,
vt a prandio ludas. Petrulus. An ſolus ludam præ-
ceptor? Præce. Aſciſce tibi vnum aliquem ex il-
lis, quorum mihi explorata eſt in ſtudiis diligen-
tia. Petru. Sodalem cupio conterraneum & co-
gnominem meum Petrum Brugenſem. Præce-
ptor. Probe facis, ille nihil aliud q̃ ludit etiam
abſque venia. Petrulus. Si is non placet, ſine
præceptor vt mecum ſit Henricus Lubecẽſis, quo
iuuene nullus eſt alius in ludo tuo literario bona-
rum literarum ſtudioſior. Præ. Age fiat.

Sylueſter, Donatus.

Sylueſter.

Digitized by Google

ALeæ ludo pecuniam omnem perdidi. Dona. Dixin tibi quum vinceres vt fœnus id eſſe, non lucrum exiſtimares? Sylu. Memini. Dona. Ita fere ſolet in hoc ludo euenire, vt qui initio vincit, poſtea exhauriatur, ac plerunq; verum ſit, quod a Marone dictum eſt. Quiſquis habet nummos veniens exibit inanis. Dona. At tibi iactura hęc melior fuerit, q̃ ſucceſſus: hic enim ad ludendi ſtudium excitare & accẽdere potuiſſet, damnum vero te fortaſſe inde retrahet. Syl. Neſcio, videmus enim, vt qui ſemel in hoc baratrum inciderit, nec pudore, nec damno reuocetur. Quã multos noui, quos inſanabilis hic morbꝰ ad egeſtatis terminos redegerit, ac Iro reddiderit pauperiores Homerico. Donatus. Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Scitum eſt inquit Comicus ex aliis periculũ facere, tibi quod ex vſu ſiet.

Dictum vulgare.

Virgilius.

Dictum graue.

Pater & filius colloquuntur.

Pater.

COnſului hodie fili chariſſime parochũ templi noſtri, virum vt te ſępius audiuiſſe credo, eruditum, & ſanctũ, Is mihi ſuaſit, vt ad ſacrarum ſtudia literarũ potius te Louaniũ, q̃ Pariſiũ ablegarẽ. Dicit nuſquã melius, nuſquã incorruptiꝰ tractari Euangelicã doctrinã, & plures habet ea ſchola eximios diuinæ mentis interpretes. Fi. Tibi me obſequi & parere eſt æquũ parens optime, quocunq; miſeris, quocunq; abire me iuſſeris. Pater.

Laudo mi fili, & me viciſſim facillimo vteris patre. Louanium vbi adueneris, ita viuito, ita te gerito, vt ſis doctoribus tuis q̃ chariſſimꝰ, ac illum fac imiteris adoleſcentem in Comœdia, de quo dicit: Nulli lædere os, arridere omnibus, nunquam præferens ſe alijs, ita vt facillime ſine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. Filius. Faciam pater q̃ mones omnia. Pat. In ſcholis attẽte fac audias eos qui profitebuntur. Viam ſapientiæ monſtrabunt tibi, & per ſemitas te ducent æquitatis, quas cum fueris ingreſſus, non arctabunt greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. In eadem ſchola vide ne delecteris in ſemitis impiorum, nec placeat tibi malorum via, qui nõ dormiunt, niſi cum male fecerint, nec capitur ſomnus ab eis niſi ſupplantauerint.

Saluberrima patris ad filium monitio.

Pij ac ſalubres ad viã æquitatis inſtinctus.

Ludus globularis.

Colloq. Iuliani, Auguſtini, Petri, Pauli, Aegidij

Iulianus.

DIIS gratia. Tandem ad primam horam ferias ſcholarum extorſimus, id quod nobis toto vixſemel contingit anno, Tam difficilẽ hunc ſumus nacti præceptorem, quo tamẽ ad verbera & plagas neſcio an tota hæc regio facilliorem habeat. Auguſtinus. Mihi hoc nomine plurimum, mihi debetis quicquid eſt iſtuc feriarum, qui vobis tam inſignem, tam cõmodum reppererim oratorem, cui ni ſaxeus, ni ferreus eſſet negare non potuerit. Petrus. Vera loqueris, atq; eã ob rẽ oẽs te amamus plurimum, viciſſim tibi alias, ſi quid vſus venerit lubentes benefacturi. Sed ad ludum ꝓperemus, dũ enim loquimur, dum garrimus abit hora. Augu.

Digitized by Google

Iſtuc recte, ſed quõd luſus genus magis placet?
Pau. Mihi non poteſt non maxime placere, quo cæteros delectari cognouero. Iul. Videtis ne ſodales iucundiſſimi ſerenum eſſe cœlum, & ventos omnes ac tempeſtates reſediſſe? Aug. Videm⁹, & propterea magis libet in cãpos & virentia excurrere prata. Iulia. Seuiente hoc æſtu campos relinquamus alijs, qui domi non habent, vbi corpus exerceant, horti interim noſtri erũt nobis camporum loco, vbi ad ſtipitem erectum proijcientes vini ſextarios aliquot lucrifaciemus in cœnã, quæ res noſtro magiſtro duabus de cauſis haud erit, ni fallor, ingrata: bibet enim nobiſcum immunis, & aſymbolus, & ſumptus interim domi nullos faciet. Pau. Tu profecto non fruſtra ſapis Iuliane, qui tibi ſapis in vtraque enim harena exercitatiſſimus es quandoquidem & ſtrenue potas, nec ludis indocte. Sed agite, nunc fortunã experiamur. Nã hic ludus non ab vno tm̃, ſed pendet a pluriũ dextris, & non raro qui ſit multum indoctus mittendi globi tantum officit, quantum cæteri proſint egregie docti. Aug. Iſtuc ſic habet, ſed numero ſumus impares, vnus igitur noſtrum alijs ludentibus interim ſedeat ocioſus, aut duos mittat globos oportet. Pau. Proinde faciam⁹, quod in hoc ludẽdi genere ſeruari ſolet, vt is qui primo iactu ſtipiti erit proximus, ludi ſpectator ſedeat ocioſus. Sed nuſquam fortunatus fuerit, cui tu cõtigeris in hoc ludo ſocius. Aug. Quam ob rem? Pau. Tu enim es omnium certamine mittendorũ globorum doctiſſimus. Aug. Sed fortaſſe omnium infeliciſſimus. Pau. Nunc agite bonis auibus rem aggrediamur, vt ſcire poſſimus, cui faueat, cui ſit magis amica fortuna, ego ſi lubet mit

tam primus omnium? Auguſt. Eſto tu primus omnium ſi lubet, papæ, ſtipiti proximus es, verũ ſic agẽs minime te ſtipitem ſed artificem probas, ita ſi pergas me viceris. Pau. Bonus profecto iactus eſt Auguſtine, ſed qui fortunæ magis debeatur quam arti. Id quod cæteri quoque ſunt oſtenſuri. Aha Iuliane hunc bolum mihi e faucibus eripuiſti, ſedebis hoc ludo ſpectator ocioſus. At bene habet; Eiuſmodi cõtigerunt ſocij, vt bona ſpes habeat animum meum victoriam eſſe noſtram.

Aegid. Quid? an putatis nos a fortuna relictos in hoc certamine? vidi plus milies viciſſe qui omniũ eſſent indoctiſſimi. Ne gloriare prius quam viceris. Penes quem ſit victoria docebit exitus, ſed primum diffiniamus quoto iactu conſtabit victoria, quodque ſit victrici parti futurum brauium.

Iulianus, Sexternio ludum abſoluet, pars prior victa pronunciabit quanti ludetur, qui in ſcrobem hunc inciderit in damno erit. Auguſtin⁹. Placent leges, Nos quoniam proximo iactu vicimus incipiemus. Aegidius. Quod nobis bene vertat. Age nunc ſodalis quanquã hi ſunt viribus ſuperiores, nos operam demus vt animo vincamus, quæ non raro inferiori victoriam peperit, tu mitte prior, quanquam abbas malles, nos ſequemur.

Auguſt. Quid tibi videtur is iactus? Aegidius. Nõ malus hercule. Sed nunc a nobis expecta meliorem, dixin hoc fore? Quid nunc ais Auguſtine? Auguſtinus. Te artificem probum eſſe, ſed magis fortunæ fauore, quam peritia. Paule nunc omnis noſtra ſpes in te ſita eſt, hoc ſtatu maxime eſt opus, vt arte pariter ac viribus vtaris. Non enim vicerimus alia via, niſi depellas a ſtipite globum, vt in ſcrobem incidat. Paulus. Modis omnibus adnitar, quanquam iſtuc vicies tentanti vix ſemel

ſucceſſerit. Aug. Haud indocte miſiſti, verũ non fauet noſtræ parti fortuna. Aeg. Quales nunc tibi videmur Auguſtine? vincimus duob⁹, bono ſis aĩo Petre, ita ſi ter, quaterve ſucceſſerit, victores bibimus, atq; hoc victoria fuerit glorioſior, quod tales vicerim⁹ artifices. Aeg. Propere vos quidẽ ante victoriã canitis triumphũ. Quin meminERITIS, vt belli, ita luſus variã eſſe aleã. Pe. En iactũ Aegidi inuincibilem. Paulus. Canes tu quidem mox aliam cantilenam. Petr. Recte iſtuc. Nam tu quidem recta ad ſcrobem properas, & nunc incidiſti. Auguſtinus. Ignaue, quid ita mittis? Paulus. Non noui melius. Quæſo ne ſuccenſeas Eſt æquo animo ferendum, quod mutari non poteſt. Tu nunc arte corrigito, quod nos errauimus, ſed quid iſtuc eſt? Tu quoque ad ſcrobem properans, nos imitaris. Pet. Heus Aegidi, nunc præbe te virum, euge ſucceſſit. vos nihil, nos habem⁹ quatuor. Auguſtinus. Vtinam ſapientes eſſetis, quam eſtis felices. Aegid. Siue peritia, ſiue fortuna non refert modo contigerit vincere. Nunc Petre oſtendamus, qui viri ſimus. Si deinceps ita ſucceſſerit, haud dubie noſtra eſt victoria. Petrus. Per me, ſpero, non ſtabit quo vincamus minus. Nam ſucceſſus addit animum. Aegidius. Hoc vide auguſtine. Etiam nunc animi quippiam, aut ſpem habes vllam? Rurſus ad ſignum maneo. Auguſtin⁹. Hoc plus habeo ſpei, quo tu plus gloriare. Quam ob rem nunc expromam quicquid in me eſt artis. Quid glorioſe nũc ais? Iã depulſus es. Aeg. Fateor equidem iſtuc. Petre oſtẽde q̃ ſis peritus aut fortunatus. Pe. Conabor. Aug. Nec is profecit quippiam, Paule te iubeo bene proſperare, nam ambigere fortuna videtur vtri velit parti addicere victoriã, profecto vincim⁹ duobus, qđ

Digitized by Google

nunc ais bone vir? habemus tria. Aeg. Nõ ita eſt Erras tu equidem. Aug. Nonne primus ludi iactus noſter fuit? & modo acceſſerunt duo. Aeg. Sic habet quanquam parum te iuuerit. Nunc ſi lubet eijce, ſi meus eſſet is globus recta in ſcrobem iret. Aug. Neq; nunc agit aliud. Quid hoc mali eſt? Nunquam equidem luſi indoctius. Tu mi Paule fac circunſpectius mittas. Pau. Curabo, melius eſt, at non multo. Aeg. Nunc mihi haud dubium eſt quin vicerimus. O ſocij ſimus viri atque iſtos ſuperemus, hic potiores habeo, hic vici. Pet. Vici & ego noſter hic ludus eſt. Hodie didiciſti Auguſtine, quam ſit plerunque ſtultum arti nimium fidere in eo ludo, qui fortunę plurimũ ſubiacet. Aug. Aequo animo ferendum eſt mihi. Aeg. Quando nos victores, vos victi eſtis, definite quãti velitis ludere. Aug. Vt pars victa duos vini ſextarios pendat victrici. Aeg. Placet, ſupereſt igitur, vt ſortiamur partes. Aug. Fiat, ſpero mihi hoc ludo futuras ferias. Aeg. Iſtuc certum eſt, niſi quis alius te depulerit. Auguſt. Non puto te tantum eſſe artificem. Aeg. Nunc te depuli, neque alius hodie propius acceſſerit, feriabor igitur, ego ſpectator ſedebo hic in viridi gramine. Aug. Nunc omnino pares ſumus, itaque ſi videtur tres ludos coniungemus, poſtea ituri ad compotatiunculam, haud enim iucundum eſt ita ludere vt corpus fatigetur. Aeg. Nihil equidem recuſauerim, modo contingat ad vltimum feriari Aug. Permittimus, interim talias para, quibus inſcribas errata ſingulorum. Aegidius. Iſtuc oppido quam libenter faciam.

DIALOGVS.

Artemona mulier, Paraſitus, Demenetus vir
Argyrippus filius, Philenium meretrix.
Plantinum eſt argumentum
Artemona.

QVid ais? maritum hic meum potitare vna cum filio, & amicæ argentum dediſſe, idque præſente filio? Pa. Nihil credas mihi poſt hac Artemona, ſi mendacem hic inueneris. Artem. Ah imperita ego & ſtupida mulier, vereque mulier, quæ viro meo credidi eſſe continentiorem neminem. Pa. Contra nunc vides incontinentiorem viuere neminem, quique magis vxorem oderit, quam ipſe te odit. Art. Iſtuc verum eſſe res ipſa declarat, hoc nimirum eſt quod ille tam frequens ſit conuiua foris. Mihi quotidie reſpondet ſe ire cœnatum ad Archidamum, vel ad Cheream vel alium quempiam hic probum ciuem. Interim apud ſcortum cœnitat profunditque omnia. Pa. Tu reuocato ancillas, vt extractum e ganeo ſublimem rapiant domum. Art. Tace, ego illum hodie excipiam, vt dignus eſt. Pa. Ego iſtuc ſat ſcio ita exceptum iri illum, donec tu quidem viues. Art. Dũ ego illum exiſtimo cum probis ac honeſtis viris ĩ negotioſa ciuitate rei domeſticæ vtilia tractare negotia, obſonat, potat, ſcortatur dies totos, atque etiam corruptus pater, ſuum corrumpit, ac male docet filium. Par. Sequere me hac Artemona, faciam vt ipſum videas, atque imprudentem opprimas. Art. Nihil eſt quod mauelim Pa. Mane ſi videris dantem ſuauium amicæ poteris ne eum cognoſcere? Art. Maxime. Para. Hem tibi hominem. Art. Perij. Pa. Pauluſper

Digitized by Google

mane. Ex hoc loco obſeruemus clanculum, quid agant inter ſeſe. Argy. Oſculandi pater & amplexandi quis tandẽ erit modus? Dem. Fateor gnate mi. Argy. Quid fateris? Dem. Me hui⁹ accenſſum amore. Par. Audin quid dicat? Art. Audio. Dem. Ego meum ſuauium, meum corculũ nunc ædibus meis clam vxore afferam, quod tibi donẽ ornamentũ muliebre. Par. Cenſen tu illum hoc primum biduo ſolitum recipere ſe in ganeas? Art. Ille quotidie aliquid ſurripiebat mihi, quod ancillas facere putabam, atq; innoxias quotidie accuſabam, protrudebam, verberabã. Argy. Pater iube infundi vinum oppido ſitienti mihi. Dem. Heus puer, Accipe poculum, tuoq; officicio fungere. Demenet⁹, Huc ades o mea tu. Artemo. Vt oſculatur carnifex, orci faſtidium. Demeneti⁹. Emoriar,, diſpeream ſi non tua eſt anima ſuauior multo, quam vxoris meæ. Saccarum non eſt ſaccarum. ſi cum tua anima componatur, quod apibus cityſum, quod vrſo mel, hoc mihi tua eſt anima. Philenium. Dic rogo, an fetet anima vxori tuæ? Demenet⁹. Quæ reſtagnant eſtate, aquas libentius biberim ſi opus fuerit, quam illi dem oſculum. Artemona. Iſtuc cum magno tuo malo dixiſti, ſiquidem hodie domũ veneris, vbi oſtendam tibi quid pericli ſit dotatę vxori conuicium dicere. Argyrip. Ecquid matrem amas? Deme. Ego ne illam nunc amo quod abeſt. Para. Audin? hic homo te amat vt dicit. Artemona. Nequeo durare. Paraſitus. Inuolare iu oculos optimum eſt. Artemona. Tu hæc hodie cũ tuo magno feciſti malo. Argyrippus. Salue mater. Art. Sic ſalutas luxu perdite? Par. Mortuus eſt Demenetus, vt me ſubducam tempus eſt, poſtq̃

hunc ſenem tām probe ſum vltus, qui me nūq̄ pe
tuit ferre domi ſuę conuiuam. Art. Quid tu me-
retricula huc ad te receptas virum meum? ſurge
amator, i domum. Deme. Nullus ſum. Arte. Ca-
ue iſtuc dicas, cum ſis omnium mortaliū nequiſſi
mus. At etiam cubas cucule? ſurge inquā, & oci⁹
abi domum. Deme. Væ mihi. Arte. Nimiſq̄ vera
tu nunc hariolare, ſurge amator, i domum. Dem.
Obſecro vxor. Arte. Nunc meminiſti vxorem me
eſſe tuam? Modo quum animam mihi fetere dice
res, odium, non vxor eram. Deme. Totus perii.
Artem. Quid nunc ais? fetet ne anima vxoris tuę?
Deme. Mirrham olet. Art. Iam ædibus exporta-
ſti quæ ſcorto donares? Arg. Nō mater, ſed factu-
rum ſe promiſit. Art. Non taces? Arg. Ego diſſua
debam mater. Art. Bellus tu mihi filius es. Hoc-
cine eſt officium patris? docere filium obſonare,
ſcorto aſſidere, in ganeis rhetici vini ſiccare pocu-
la. Nihil ne te pudet? Ego vxor te canum & capu-
la rem ex luſtris ac lupanaribus rapio? Dem. Sine
hic maneam rogo dum cœnem. Art. Cœnabis do
mi hodie, vt dign⁹ es. Dem. Male cœnabitur, ma
le itē cubabitur, indicatū me vxor adducit domū.

Salubris confabulatio. Henricus, Petrus.

Henricus.

SAlue multum mi Petre iam toto pe
ne menſe mihi non viſe. Pet. Salue &
tu chariſſime Henrice. Hen. Quid ſi
bi vult iſta tam triſtis ſeueritas vul-
tus? videris hercle mihi conſobrinus
ille Chryſidis, vnde quæſo? num e ſpecu Tropho-
nii? Petrus. Equidem demiror te qui iſtuc ro-
ges, vnde quęſo venire decet feriato die Chriſtia-
num? Ex cenopolito aut ganea, aut ſphæriſteriis,

aut choreis, aut ſchola gladiatoria? Hen. Sic opinor, nam mihi hæc loca tum crebrius viſuntur, q̃ ſacræ diuorum ædes. Pe. Quid audio? Num te quoque corripuit vulgaris iſtius morbi contagiũ? At ego cẽſeo nihil minus decere Chriſtianum, cũ ſemper, tum præcipue die feſto. Videris ſane mihi parum noſſe quid de ſanctificando ſabbato nobis præceperit deus. An hoc eſſe putas ſanctificare ſabbatum quod feſtis diebus vulgo nunc factitant Chriſtiani, dum intermiſſo corporali labore, vix frigide audito ſacro. nihil aliud quam ineptiũt comeſſantur, potitant, ſaltant, ludunt aleam, ſcortantur, pugnant? Nam hæc eſſe videmus hoc noſtro ſeculo male feriata ſtudia vulgi. Hen. Imo ne vulgi quidem ſolius o bone, verũ etiam ſacrificulorum quorundam, atque illorum, qui veſte ac titulo ſanctimoniam venditant, quorum exempla potiſſimum ſequutus & ipſe, probe mihi videor meo functus officio, nec quicquam prætermiſiſſe quod ad diem feſtum pertinet ſi miſſa, quam vocant audita, ad illiuſmodi ſtudia me totum contulerim. Pe. Sed concionem audis opinor, ſiquidẽ huius potiſſimum gratia putant quidam eccleſiæ præcepto nos adigi ad audiendum ſacrum, Et hinc natam apud multos interſacrificandum concionandi conſuetudinem. Hen. Audio, ſed perquã raro, nam concionibus adeo delector, vt vna ſæpe ſufficiat in aliquot menſes. Pe. Circunferas igitur oportet male ſaginatã aĩam nimirũ, cui vnicus cibus eſt verbum dei. Sed dic mihi bona fide, huic vitæ, hiſce moribus non interim reclamat conſcientia? Hen. Non admodum, perſuaſi enim mihi in ea re non eſſe crimen, cui tã multos eſſe video obnoxios, aut ſi adeo, id perquam eſſe leue. Petrus.

Ah Henrice, nunc tu tota (vt Comicus ait) erras via. Neſcis miſer, neſcis tanto pernicioſiꝰ eſſe malum, quanto ſe latius ſparſit? Itidem vt bonum, quo communius eo præſtãtius eſſe ducitur? Henricus. Iſtuc facile crediderim de malo corporis. Petrus. Imo etiam animi ſi ſanus es, nam id quidem certiſſimum eſt, nec leuium autorum ſententijs comprobatum, peccantium multitudine culpam peccatorum non minui, verum etiam impẽdio augeri. Quid corrugas frontem? an teſtimonium proferri flagitas? Henricus. Minime nã tuã mihi dicta, folia ſunt Sibyllæ, ſed mirari ſatis nequeo & meam ſocordiam, qui iſtuc nunq̃ cogitarim, & corruptorum hominum cæcum errorem, qui (quod habeo compertiſſimũ) multo ſecus opinantes, hauſtum animo virus in nullum non ſtudent euomere, ac ſcabiem ſuam vel obtrectando, quando alias non licet, omnibus paſſim adfricare daturi, vt nunc demum intelligo demens eo grauiores ſcelerum pœnas, quo pluribus fuerint mali occaſio. Ego vero prudentior factus tuis monitis, ſollicite cauero poſthac, ne quid huius cõmittam, daboq; operam, ſi ipſe vitam omni ex parte illibatam tueri nequeã, ne ſaltem per alios, meo vel exemplo vel impulſu peccantes, mihi creſcãt plagæ. Sed redeamus obſecro ad diem feſtũ, meq; (niſi moleſtum ſit) doceas, quibus ille ſtudijs ſit tranſigendus. Pet. Si noſtro exemplo concioni potius frequens adeſſe maluiſſes, q̃ vulgaribus iſtis indulgere ineptijs, nihil ad hanc rem opus eſſet tibi noſtra opera. Nam illic rudi plebeculæ, ceteriſq; pietatem diſcendi auidis huiuſmodi multa ſubinde inculcant ſacri cõcionatores. Verum quoniam iſta cognoſcendi ſitis ſpei nonnihil oſtendit emen-

datiores vitæ, haud grauabor quicquid huius ha-
beam tibi impartire. Primū, quid tibi videtur ſo-
nare ſabbatum? Hen. De hac voce memini, ceu per
nebulam, quod aiunt, audire me nonnunq̃ ex præ-
ceptore quondā meo doctiſſimo viro Iacobo. Na[illegible]
deno ipſam eſſe Hebræis quod Latinis eſt quies
ac ceſſatio, illiſq; ſacro quondam myſterio ſic vo-
catum eſſe diem ſeptimum, quem ethnici a ſepti-
mo planeta, Saturni diem nominant. Pet. Iſtuc re-
cte, at non explicabat vir ille doctiſſ. lateris ratio-
nem myſterij cuius gratia ſacrū ſibi facerent hūc
diem Iudæi? Hen. Nec hoc præterijt, vt erat in tra-
dendo fideliſſimus. dicebat enī, niſi memoria va-
cillo, id illos feciſſe ꝓpterea ꝙ oīm rerum opifex
deus, poſt abſolutam ſex dierū ſpatio pulcherri-
mam hanc mundi fabricā, ſeptimo die conquieuit
ab oī opere. Pet. Nihil dici poſſet rectius, video te
non oīno fruſtra operam dediſſe tam erudito præ-
ceptori, facileq; adducor vt credā, qui hæc retru-
ſiora tam fideliter teneas, nec ea quoq; ignorare,
quæ magis obuia ſunt, ꝓinde neſcire te non opi-
nor, quid verbū ſanctificare ſignificet. Hen. Iſtuc
me facile docet ipſa vocis compoſitio, quę (ſi fides
habenda grammaticis eſt) ex noīe ſanctū & facio
verbo conflata eſt. Pet. Mirum eſt ergo te nō dum
intelligere, quid ſibi velit diuinū præceptū: Me-
mēto vt diem ſabbati ſanctifices, aut ſi intelligis
id moribus ac vita tā parū præſtare, quippe q ſab-
batū, vt ipſe dicis, non mō non ſanctificas, verum
etiā multis modis ꝓphanas violaſq;, ac tēpus, qđ
datum eſt reconciliando conditori deo, quem ſæpe
peccando nobis hoſtē facimus, in occaſionem tibi
vertis geminę offenſionis. Hen. Geminę offenſio-
nis? quid ita? Petrus. Quia facis tu quidem de-

Digitized by Google

feſto, quod minime profeſto liceat. Hoccine eſt
ſancto vacare otio? hæccine digna feſto die ſtudia
pietatis, choreas ducere, aleã ludere, potitare, co-
meſſari, vt interim temulentias ac ſcortationes,
aliaque id genus nequiora prætercam? Hæc cum
vtcunq̃ non damnent Euangelicæ literæ, vt ſtulta,
vt impia, vt inimica ſaluti, quæque nullo tempo-
re facere licet, tamen tu te facere dicis, quum mi-
nime liceat, ſi neſcis, hi ſunt illi ſabbatiſſimi, neo-
meniæ, calendę, ſolennitates quas per prophetam
Eſaiam odiſſe ſe dicit Deus, ac ſuſtinentẽ labora-
re. Diuus Gregorius vir doct[?] iuxta ac pius, me-
lius eſſe ait feſto die fodere aut arare q̃ choreas
ducere. Et quãtulum quęſo id eſſe videtur crimi-
nis, ſi cum cęteris grauiorib[9] conferas? Hen. Equi
dem credo mi Petre ita eſſe, vt dicis omnia. Nam
vogis me, q̃libet reclamante affectu, pedib[9] in tuã
ire ſententiã. Quin, vt ingenue fatear tibi, ſuggeſ
ſit ſępicule mihi vel ratio, vel ipſa pietas, dũ ſab-
batũ, dum ſanctificare mecũ reputo, longe alia po
ſtulare diem feſtum, q̃ quæ hodie vulgo facimus
Chriſtiani, ſed crebra exempla cũ aliena, tũ dome-
ſtica, tum vi quadam inexpugnabili legem nõ ra
ro vincens conſuetudo, ſemper diuerſum ſequi cõ
pulit. Pet. Quid iſtuc obſecro? An apud te plus
valet prauæ vis conſuetudinis, q̃ pietatis, q̃ ratio
propriæ ſalutis? Henri. Valuit certe hactenus, &
quid hoc adeo mirum, cum mihi ſit id vitij cum
tam multis commune. Nam quotuſquiſq; nunc
eſt, qui ſi coneris ab illiuſmodi ineptijs vocare ad
ſeria, a tam impijs ad pia, non protinus ſtultitiæ
[illegible] ſuam præſtet conſuetudinem? Petrus. Vtinam
hic vanus eſſes mi Henrice, nec veriſſimũ eſſe ſci-
rem quod loqueris. Accidit enĩ nuper mihi, vt cũ

Diui gregorij authoritas notatu digniſſima.

viris aliquot honoratis cœnam caperem. Vbi cœ-
ptum eſſet agi de multis quæ præter decorum
profeſſionis ſuæ paſſim nunc fiunt a Chriſtianis,
incidit forte etiam mentio de anniuerſariarū ſup-
plicationū, quas vrbes pagiqꝫ noſtrates celebrant
inſanijs (quid enim vetat inſanias dici, in quibus
tam multa fiunt inſana) quas cum ego magno
pietatis bono obolendas eſſe contenderem, exor-
tus eſt conuiuarum vnus quiſpiam, non plebeius,
quod quidem ferendum fuerat, ſed purpuratus,
idemqꝫ literatus nobilis, qui hanc de conſuetudi-
ne ſeruanda cantilenam ilico mihi occineret, iiſqꝫ
in hac opinione tuenda ſic obfirmauerat animum,
vt nefas eſſe duceret eum vel tollere vel mutare,
quibus tot ſeculorū conſenſus ſubſcripſiſſet, imo
flagitij pene loco habendum, ſi ceu meliores vide-
ri volentes noſtris maioribus, ab illorum inſtitu-
to ac moribus quicq̄ declinaremus, quoqꝫ magis
mireris homines cordatam prudentiam, talē no-
bis dicebat relinqui debere mundum, qualis eſſet
inuentus. Ad quæ verba tacitus mecum ingemi-
ſcens (neqꝫ enim profutura videbatur per ratio-
nes longa contentio) nunq̄ fore cogitabam vt ma-
lis iſtis vllum inueniretur remedium, quibus &
diuturnus neglectus inſuperabilem obduxit ſitū,
& illiuſmodi contigerunt propugnatores. Poſtre-
mo (vt ſemel dicam) poſtea mihi ſemper viſa eſt
iſta prauæ conſuetudinis pertinax defenſio fons eſ-
ſe omnium prope errorum, qui ſemel potuit in
eam inſaniam agere ſolet mortalium animos, vt
vix vnq̄ ad ſe redeāt. Hinc illa vulgi perpetua in-
ſipientia, hinc tam præpoſtera de fugiendis expe-
tendiſqꝫ rebus iudicia, hinc falſiſſimarum ſtultiſſi-
marumqꝫ opinionum vberrima ſeges, vnde pullis

Digitized by Google

lat ille mundus, quem Chriſtus in Euangelio ſibi & moleſtum eſſe dicit, & odioſum, quo cum tantum abeſt vt illi quicq̃ conueniat, vt amicum ſibi eſſe neget, qui illi non exoſus, qui illi non etiam hoſtis ſit. Sentis opinor nunc tandem quo te noſtra vocent monita, nimirum huc. Si charus eſſe velis Chriſto, vt a vulgi, qui iam olim peſſimus viuendi ſentiẽdiq; autor eſt, tum factis, tum opinionibus q̃ maxime diſſentias, ſecterisq; poſthac, non quod placere vides plurimis, ſed quod optimis, atq; (quod te per ſalutem obteſtor tuam) ita tranſigas dies feſtos, atq; adeo omnẽ vitam, vt Chriſtiano dignum eſt, ſatagens vt apoſtolorum princeps ait, certam facere vocationem tuam per bona opera, illud habens perſuaſiſſimum, fidem ſine moribus fide dignis adeo nihil iuuare, vt etiam in cumulum cedat damnationis. Henricus. Equidem adnitar pro mea virili, teq; oro chariſſime Petre vt me precibus ad Chriſtum tuis adiuues, niſi enim ille ſuccurrat, nihil poteſt humanarum viriũ imbecillitas. Petrus. Verum, ſed tu fac bono ſis animo, illiq; toto pectore fidas qui pios conatꝰ nũq̃ deſtituit. Bene vale ſuauiſſime Henrice. Henricus. Vale & tu ſaluberrime mihi monitor chariſſime Petre.

Pijſſima ſocij ad ſociũ oratio.

Gaſpar & Pomponius.

Gaſpar.

AVDIO nouæ rei quippiam allatum e Germania. Pomponius. Libri ſunt Eraſmi, Paraphraſis in Euãgelium Marci Gallorum regi, Paraphraſis in apoſtolorum acta Clementi ſeptimo Pontifi. dedicata. Gaſpar. Apud quos

viri huius non ſanctum, non venerandum habea-
tur nomen, qui de ſtudijs literarum propagādis, &
de iuuandis mortalibus ſemper cogitat. Pompo- *Eraſmi laus mira.*
nius. Alia item abſoluit nō minus frugifera, quę
vidi ego ipſe, atque hiſce manibus contrectaui.
Nam Baſileæ conuictor ſum Eraſmi a cuius viri
ſuauiſſima familiaritate, & conuictu auelli non
poſſum, & hoc nomine me felicem iudico, quod
cum oratore clariſſimo, cum theologo eximio ęta-
tem degere mihi contigerit. Gaſpar. Vere tu felix
es, optima ſunt adoleſcētis ad eruditionem, ad ſa-
pientiam aſſequendam fundamenta, ſi cum eru-
ditus, cum ſapiens per ætatem eſſe non poſſit ob-
ſtante inſcitia, qua nec videre, nec agere res opti-
mas valet, eorum qui ſunt eruditi ac ſapientes cō-
ſuetudine gaudeat. Pomponius. Ab huius viri
latere non diſcedo, huic ceu noua & recēs nata ar-
buſcula tanq̄ adminiculis quibuſdam innitor, &
hunc de rebus grauioribꝰ diſſerentem audio quo-
tidie. Hic eſt mihi, quod Ciceroni fuit ille Sceuo-
la, ad quem a patre deductum ſe ſcribit ſumpta
virili toga, vt quoad poſſet, quoad liceret, a ſenis
latere nunq̄ diſcederet. Gaſpar. Recte ſentis ac
mire placent, quæ dicis omnia. Primum eſt enim
vt ſapientes colere aſſueſcat iuuenis, ſecundum vt
quæ dixerint illi, memoriæ inſculpat, tertium vt
illorum ſtudeat q̄maxime ſimilis euadere, & fa-
cta & dicta omnia imitando. Hoc enim faciens
ad quam contendit eruditionem & ſapientiam [illegible]
ctor conſequetur.

Alia confabulatio.
Ludouicus & Titus.
Ludouicus.

Quotidie aliquid lego. Tit. Nihil aeque conducit ad optimam vitae inſtitutionem q̄ aſſidua & diligēs lectio. Lud. Nulla mihi ſine lectiōe praeterit hora. Tit. Iſtuc recte, tradunt enim magni ſcriptores, omne perire tempus, quod ſtudio non impertiris. Lud. Nullo ſcriptorū genere tam delector q̄ hiſtoricis. Ti. Nullius facultatis aut diſciplinae tanta vtilitas quanta hiſtoriae exiſtit. A malis enim artibus infamiae metu abſterret Ad praeclara & egregia facinora ſpe laudis & gloriae adhortatur. Preterea hoc praeſtat vt latine incorrupteq̧ loqui aſſueſcāt iuuenes, quod imprimis curandū eſt. Nihil enim turpius, q̄ quae ſentias, queq̧ animo concipias eloqui nō poſſe. Ludo. Sed quoniā antiſtes noſter opimo & honoratiore me auxit ſacerdotio, nempe canonicatu apud diuinū Martinum Traiecti, turpe quidam exiſtimant eſſe q̄d tanto literaturae politioris tenear amore. Ti. Hijs nihil eſt ſtulti⁹, nihil inſanius mi Ludouice. Quid enim pulchrius quā ceteros doctrina & eloquentia anteire. Tu igitur quod coepiſti facere perge, neglectis iſtorum ineptis ſermonibus, quid de literis, deque literatis hominibus male ſentiūt, malo otio & langori dediti.

Authoritas grauis.

Cicero in .j. lib. tuſcu.

Alius.

Pater & Philoſophus. Pater.

Mortuus eſt mihi filius. Philoſo. In hoc genueras, vt moreretur. Pat. Maximo bono priuatus ſum. Philoſophus. Reddidiſti ei a quo gratis acceperas. Pater. Sentio grauem eſſe orbitatem. Philoſophus. Stultum eſt flere quod mutari non poteſt.

Pat. Perijt filius. Phil. Nō perit qui bene moritur.
Dicta haud triuialia. Pat. Immatura morte deceſſit. Phil. Bene morien-
ti nulla eſt mors immatura. Pat. Ante diē obijt.
Phil. Moriendi nullus cuiq̄ certus eſt dies. Pat. Vi-
ridi adhuc ætate extinctus eſt. Phil. Vere dictum
a magnis & ſapientibus viris, feliciter mori homi-
nem, qui tunc moritur, quum adhuc iucundū eſt
viuere. Pat. Mortem obijt perq̄ iuuenis. Philoſo.
Tanto pluribus ſe ſubduxit vitæ malis. Pat. Opti-
mo ſum orbatus filio. Philoſo. Gaude talem te ha-
buiſſe filium. Pat. Innocens ac ſcelerum purus e
vita migrauit. Philoſo. Quę magis optanda mi-
nuſq; deflenda mors eſt, q̄ eius qui nunq̄ in vita
peccauit? Pat. Sed interim frui conſpectu filij non
poſſum. Philo. Animo & cogitatione potes, p-
pediem totus toto fruiturus. Aliud. ¶

Pater & Philoſophus.

Pater.

FILIVM amiſi. Philoſophus. Cum multis actum eſſet melius, ſi nūq̄ liberos ſuſcepiſſent. M. Antonius, quem philoſophum dixit antiquitas q̄ grauiter tulit in vita commodum filiū. Auguſt⁹ quoq; filias quum morum improbitatē ſuſtinere non poſſet, nōne a conſpectu remotas relegauit? Optabat idem cœlebs viuere ac ſine liberis mori. In priuatis alius alea rem patriam dilapidat. Alius noctes dieſque potitat. Alius furtis aut adulterijs omnem parentis domum atque familiam dehoneſtat, ac non vno modo ſollicitam habet. Pater. Deceſſit filius in quem ſtudij tantum atque laboris contuleram, quem etiam ſenectutis meæ baculum mihi promiſeram. Philoſophus.

Dictū vulgare ac lepidum.

Naturale eſt mori, vt diei nox, ita mors vitæ ſuccedit. Non quicquid florum verno tempore niteſcit in arborum ramis, ad fructum peruenit. Vt flores ſic & homines occidunt, Serius aut citius metam properam ad vnam. Pat. Diutius viuere potuit filius. Phi. Neſcis an illi fuerit profutura vita lõgior. Multos noui quo diutius viuerent, hoc deteriores fieri. Pat. Deceſſit iuuenis, qui potuit vitæ frui munerib⁹. Phi. Quę tu iſta quęſo exiſtimas vitæ munera? an ægrotare, angi, ſollicitari, nunq̃ quieſcere? Pat. Ereptus eſt mihi filius. Phi. Tuus non erat, naturæ erat, Repetit illa quod ſuũ eſt, Tu ſi inuitus depoſitũ reddas, vide ne iniuſtus dicare. Pat. Solitudo me excruciat. Phi. Nõ poteſt in ſolitudine vitam agere, qui virtutes familiares habet. Pat. Sine hærede decedam ac moriar. Phi. An quiſquam dignior hæres quã deus immortalis? Pecuniam & facultates tuas in egentium vſus diffundito, & optimum inſtitueris hæredem.

Modus loquendi q̃ feſtiuum.

Eloquium graue ac pulchrum.

Aliud.

Marcellus & Remaclus.

Mar. CUperem te ſanctiſſimo indulgere coniugio Re. Metuo ne moroſa, ne impudica cõtingat vxor, ne impij proueniant liberi. Mar. An ignoras hominum iſta vitia eſſe, non coniugij. Re. A coniugio me deterrent in mẽtem venientes tragœdiæ, Ab hac adultera ſecuri percuſſus eſt maritus. Ab hac veneno ſublat⁹, Ab illa morum odio ad mortem adactus. Mar. Quin potius ſuccurrunt optimæ ac virorum amantiſſimæ fœminæ. Cornelia Gracchorum parens, Iulij Pompei, Catonis Portia, nominis æternitate digniſſima, Ar-

Digitized by Google

themiſia, & complures aliæ. Re. Miror te dicere complures, quum rara ſit auis mulier proba. Mar. Rara vxore fac te dignum præbeas. Re. Libertatis ſum amantior. Mar. Tanto magis aſciſcere tibi ſociam debes, cum qua tantū hoc boni cōmune habeas. Re. Orbitatem timeo. Mar. Ob hoc ipſum volo te vxorem ducere, quæ ſola hoc præſtiterit ne ſis orbus.

Alius dialogus.

Baſilius & Benignus.

Baſi. DOctor noſter hodie ſpero faciet nobis in campos liberiores excurrendi poteſtatem Sudum eſt enim, & nulli ſpirāt vēti, neqꝫ vllus eſt æſtꝰ Beni. Hoc tantum boni ſi nobis contigerit, quo euolabimus? Baſi. In campos adiacentes portæ, qua Bruxellam itur. Beni. Hoc anni tempore ij campi amœniſſimi ſunt. Hic verſicoloribus ardet terra comis, rutuloſquam interuiret herba colores. Sed quod luſus genus ibi a nobis tractabitur? Baſ. Aut ſaltabimus illic ranarum inſtar, aut ī arbore quapiā procœriore, & præter cæteras excelſa ſurrigemus auiculam, vulgo dicitur pſitacus. Beni. Quid tum poſtea? Baſi. Qui auem excuſſerit, ſagittaqꝫ deiecerit, rex ſalutabitur. Idem honoris gratiā lateronibus vndiqꝫ cinctus, multaqꝫ ſtipante æqualium caterua, domū deducetur, præcinentibus quoqꝫ tibijs, cantibuſqꝫ remiſſioribus. Beni. Quid ſi nemo noſtrum tantus ſit artifex? Baſ. Plurimum hic quoqꝫ valet fortuna, Nam & lumine captis aliquando contigit, vt auem deijcerent magno aliorum pudore quibus oculi eſſent incolumes: vulgo enim dicitur, Capiunt iacula locum. Beni. In hoc certamine mihi optarim Domitiani

Cæſaris artem, qui vt magni tradunt authores, tā erat ſagittandi peritus, vt per pueri procul ſtātis, manumq; oſtendentis digitorum interualla ſagittas dirigeret. Alius dialogus.

Colloq. Amandi & Seuerini. Aman.

TV tres menſes totos, vbi terrarum gentium ve delituiſti? Seue. Peragraui vrbes atq; oppida inferioris Germaniæ. Aman. Sunt ne hæc illic frequentia & celebria? Seue. Sunt, ita vt nos quoq; numero & celebritate vincant, Omnium facile pulcherrima & opulentiſſima vrbs eſt Antuerpia, non ſolum Brabantiæ, ſed totius emporium orbis, hanc Schalda nobilis præterfluit ānis, qua vel remotiſſimis e locis vndiq; rerum ſubuehuntur merces precioſiſſimarum. Aman. Audio in hac vrbe plures eſſe Lutheranos q̄ Antilutheranos. Seuerinus. Hiſce de rebus quod tibi reſpondeam nihil habeo, nam eiuſmodi tum ibi negotijs inuolutus eram, vt de Lutheranis alios audire loquentes minime vacaret. Amandus. Ne te detineam diutius, quemadmodum viuunt in ea Germania ſacerdotes? Seuerus. Ex hijs complures aut ſacrificuli ſunt mercenarij apud aulicos principes, a quibus non pluris fiunt, quā mulotribæ. Puduit me quoties id viderem. Aman. Nihil miror quid enim abiectius? Seue. Cæteri negotiantur ſecularia tractantes vel venantur non cuniculos, aut lepores, aut ceruos, ſed ſacerdotia, ad quæ ſi doctrina aut vitæ ſanctimonia peruenire nō poſſint, tū argenteis (quod aiunt) haſtis Romanū pōtificē, aut ei⁹ officiales & copiſtas oppugnāt

Antverpia

Quod bellum vt non raro his damnoſum, ita Ro-
manis harpyis eſt omni tempore & gratũ & vti-
le. Amand. Hæc ſimonia eſt. Seu. Ante vigin-
ti annos ſimonia fuiſſet, & ſcelus deteſtabile, nunc
non eſt, omnibus ita viuentib9. In hoc genere ſunt
etiam qui nulli rei præterq̃ epulis, choreis, cantile-
nis & ventri ſtudent. Ouium curam in monachos
ac pluſquam idiotas vicarios reijcientes, apud E-
raſmi noſtri ſapientiſſime concionãtem Moriam,
haud immerito male audiunt, quod aleã ludant,
quod venentur aſſidue, quod bellos alant caballos.
Amand. Quid hi Petro cœlorum ianitori ex hac
vita vocati reſpondebunt? Seue. Si eos non admi-
ſerit, armata manu cum curribus & equis, cũ gla-
dijs & fuſtibus irrumpent, Petro nequicquam vi-
res ſuas obijciente. Aliud.

Claudius, Iulius. Claudius.

QVa valetudine es? Iul. Laboro iam
totum triduũ tuſſi moleſtiſſima.
Claud. Hanc vnde contraxiſti?
Iul. Opinor ex itinere. Claudius.
Quo itinere? Iul. Ioannes Ciria-
cinus & ego profecti ſumus Gan-
dauum proxima hebdomada, vt pręceptorem no-
ſtrum ſalutaremus, qui nunc octoginta natus an-
nos vitę fabulam peracturus propediem videtur.
Clau. Illis diebus venti ſpirabant longe peſtilen-
tiſſimi. Domi tunc manendum erat, atq; in aliud
tempus reijcienda profectio ſi rationem valetudi-
nis habere voluiſſetis. Iul. Recte admones, at cō-
ſilium hoc poſt peractũ iter, nobis inutile eſt. Con-
uenimus illic eruditum ac pari modeſtia præditũ
virum Eligium Houcarium. Clau. Hoc nemo
viuit noſtri amantior homo, nec cui magis ego

Pulchra lo-
cutio & ele-
gans.

Digitized by Google

ſum deuinctus. Iul. Quo nomine? Clau. Is in ſchola ſua duos filios noſtros iam plus biennium bonas literas docet. Iul. Hunc præceptorem gratulor illis. Non enim dubito, quin ſtudio ac vigilantia Eligij ad patrium ſolum redituri ſint bene literati. Et ſapis tu quidẽ vir optime, qui liberos non commiſeris plagoſo cuipiam, & artiũ bonarum rudi magiſtello, apud quem in eam infantiã euaderent quæ te perpetuo torquere potuiſſet.

Iſidorus & Quintinus. Iſidorus.

Sæpius ad te ſcripſi, ſæpius item ſuaſi corã vt ex iſta ſolitudine in hanc florentẽ ſtudijs vrbem te conferres, vbi in pretio & veneratiõe ſunt qui literas meliores vel didicerint vel profitẽtur. Qu. Nihil tam cupio, quam totus huc euolare. Iſido. Abſunt tibi abunde quæ inuitare poſſunt ad vitæ huius inſtitutum, viridis adhuc ætas, & laborum patiens ingenium, facundia minime vulgaris. Qu. Ex libris philoſophorum didici primã eſſe hominis eruditionem, vt ipſe ſe norit. Ego vero mihi doctus non videor, vnde fit vt ſi hoc tam celebri loco dicere ac ſcribere incipiã, nihil ſperare poſſim, aliorum qui docti ſunt & eloquentes frequẽtia celebritate non ſolum obſtante, ſed perpetuis me tenebris obruente. Iſido. Quicunque hodie apud nos doctiſſimi ſunt fuerunt olim quod tu huc veniens eris, qui ſi ad alienum ſplendorem caligantes a dicendi ſcribendiq; munere abſtinuiſſent, nunquam huc celebritatis perueniſſent. Proinde quod futurus es fac nunc eſſe incipias, dimidiũ facti qui cœ-

Digitized by Google

pit habet. Quinti. Pudore prohibeor, metu im pedior. Iſid. Licet me cui chariſſimus es, vel autore, vel impulſore huc venias, Semper bonum amici conſilium, at honeſti quippiam ſuadens optimum.

Henricus & Andreas. Hen.

ME demoſthenes quidem oratione expreſſerit, quãtum gaudeat, letetur, exultet tota ſodalitas quod icolumis Louanium e Selandia redieris Quando igitur appuliſti Andrea ſuauiſſime? Andreas. Heri ſub cœnam. Hen. Hoſpitem ne tuum conueniſti, ac præceptorem? And. Conueni vtrunq;. Hen. Præceptor quid ait? Succenſet ne tibi quod tam diu abfueris? Andreas. Qui poſſet, quum per me nõ ſteterit? Hen. Tu quidem nigrior nobis rediſti. Puto verſatum te ac potitaſſe in Selandiæ ſalinis cum mulieribus illis niue candidioribꝰ, quæ ſalem coquunt. Andreas. Noui tuum naſũ: ſed alias talionem expecta, Nũc de ſtudijs veſtris narra quæſo mihi, quid abſentibus nobis enarrauerint tibi præceptores. Hen. Theodori grammaticarum inſtitutionum enarratio abſoluta eſt, prælegiturq; hoc tempore mihi ac æqualibus meis Luciani dialogus lepidiſſimus, Suetoniana quoq; interpretatio ad calcem perducta eſt. Andre. Exercuiſtis ne interim ſtilum? Henri. Maxime. Ego inter cætera compoſui proſtigatæ pacis epitaphium. Andre. Aptiſſimum tempori argumẽtum, principibus hodie inter ſe de regnorum finibus, Sacerdotibus vero de iure decimarum enſibꝰ, iaculis, ſaxis, omniq; armorum vi, vt Moria dixit, belligerantibus.

Chriſtiani hominis & Sacerdotis piũ colloquium.

Ego peccaui ſeruatori meo, iuſſis enim eius non parui. Confeſsio
Sacer. Delicti te pœniteat, & veniam ſpera, Qui amat humanum gen⁹, nō tam peccata vlciſcitur, que miſeratur & parat, cuius eſt verbum illud Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum. Sed quo in ſtudio tu verſaris? Quid operis facis? Chri. Mercator ſum dn̄e. Sacer. Caueto ne vſuris rem augeas domeſticam Si quid dolo fraudibusve inuerteris reſtitue. zachæo fraudes, Matthæo remiſſum eſt telonium. Chri. Superbiui, ſicut ad conuiuia vocatus honoratiorem ſemper locum ambierim, alijs tāquam meliorem meipſum prætulerim, extēto collo ambulauerim, compoſito greſſu inceſſerim, omnes præ me contempſerim. Sacer. Ab hoc tumore animi tutus eris, ſi quicquid in te magnum, pulchrum, aut præclarum videris, id dei munus, non tuum eſſe bonum exiſtimes. Chriſtianus. Immodico pecuniæ amore ex his que mihi diuia eſt elargita benignitas nihil impartiui egentibus. Sacerdos. Si poſt hac te ſenſeris ad hoc vicium a diabolo inſtigari, ſuccurrat ſtultus ille Euangelicus, cui dictum eſt, Hac nocte repetent a te animam tuam & hæc quæ congregaſti cuius erunt? Daniel. 4. legitur Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſerationibus pauperum. Daniel.iiij. ſactū ac piū dictamen.
Chriſtianus. Parenti debitum honorem non exhibui. Sa. Honorantibus patrē & matrē deus lōgæuitatē promiſit. Ch. Sū mentitus. Sa. Men

tiri quo alijs noceas grauis eſt culpa, De quo dictū eſt Os quod mentitur occidit animam. Chriſt. Sæpius ad libidinem ſollicitor. Sac. Ne ſollicite ris ieiuna crebrius, frequentius precare, ſacras lite ras euolue, opus facito, labore enim aſſiduo caſti-tatis tuēdus eſt theſaurus. Ch. Peccaui libidine. Sac. Ingemiſce & ora vt mūderis. Ch. Proximū meū odi, rapui, percuſſi, detraxi. Sac. Agnoſce crimen, dic te dignum qui puniaris, ſed tamen ora re non deſinas, vt tui miſereatur dominus. Ch. Chriſto renūtiaui, & Machumetana vel alia qua-piam impietate ſubuerſus ſum. Sa. Quo excide-ris, quantūq; mali admiſeris cogita, & cū Petro ſordes laua perfidiæ, Mulieri peccatrici, ſiue Mag dalena hæc, ſiue alia fuerit, dimiſſa ſunt peccata, poſteaq̄. lachrymis ſuis rigatos pedes domini ſuo exterſiſſet capillitio. Ch. Longo peccandi vſu iā obdurui, tot iam annos in ſcelerum meorū ſepul-chro, in cœno turpiſſimarum iacui voluptatum. Sac. Conuerte te ad illum, qui ſuſcitat mortuos, qui ſepultos terræq; redditos in vitam reuocat, & dominicum de Euangelio expecta clamorem, La-zare veni foras. Peniteat nos cōmiſſi, redeamus ī viam, ignoſcet ille cuius miſericordia ſemper eſt ad condonandum parata, ſi nos ad pœnitentiā agē dam parati fuerimus, chariſſime frater ſoli nō eſt veniæ locus deſperanti.

Labore cōtinuo maxīe tuetꝰ caſtitatis ſplēdor.

Vrbanus & Melchior. Vrb.

IRaſcor Muſis meis, quæ totum bi-ennium fortiter eſurientem, nec nūc quidem alere poſſūt, ſic reuireſcen tibus vbiq; literis melioribus, proin de multa his dicta ſalute Romā abi re decretum eſt mihi, atque ibi fri-

Digitized by Google

tandis ſacerdotū mulis, aut alio me pacto ab ege ſtate defendere. Melch. Quis hic loquitur? O mi chariſſime Vrbane, Quo nunc properas? Vrbanus. Romam. Melch. Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa videndi? Vrbanus. Ea inquam amice quam nuper dixi tibi. Melchior. Erras tu quidem mea ſententia, qui putes fore vt melius illic tibi arrideat fortuna q̃ hic in terra natali arriſerit hactenus. Vrbanus. Experiemur, ſi nec tū quidem volet eſſe mater, quæ nouerca tam diu fuerit, in Aſiam, aut alio quopiam militatum abibimus. Melch. Hoc hominum genere qui ſtipendia faciunt nihil eſt miſerius, nihil item ſceleratius, vt quibus nunquam ſit pecunia niſi e furtis & ſacrilegiis. Optarim igitur te ſi Romæ nō ſucceſſerit, ad ordinem aliquem mendicantium fratrum tranſire, aut ſacris initiatum in templis ac ſacris ædibus cantando victum quærere, vt multi hodie faciunt. Vrbanus. Hoccine conſilium eſt tuum? Quaſi vero ſanctius q̃ milites viuant iſti, ex quorum grege ac ſodalicio tam multos noui, qui quum interdiu mulieres audiſſent peccata cōfitentes, noctu grecabantur in ganeis. Melchior. Improbe tu quidem ſentis, Cum tam multis mihi familiaritas intercedit & monachis & ſacerdotibus, quos noui optimos & ſanctiſſimos eſſe viros. Quamobrem tu ſi magis Romano cuipiam ſacerdoti, Splendeat cui rutilo frons inuidioſa galero, q̃ Chriſto ſeruire cupias, aut magis arrideat militaris q̃ monaſticā vita, abi infeliciſſime, ſera enim pœnitentia eſt tua.

Pancratius & Hypolitus.

Pancratius.

SACERDOS quiſpiam prædicet Romæ deceſſit. Hypolitus. Ex eius morte quot nũc vacant ſacerdotia? Pãcrat. Curæ paſtorales quas vocant vndeuiginti, Canonicat⁹ vnde triginta, Sacellaniæ cum perſonatibus vndequadraginta. Hypolitus. Diui immortales, Vnus ne homo tantum potuit annuorum vorare prouentuum? Pancra. Obijt & Abbas quidam Erabãtus in eadem vrbe, cui nũc audio ſuffectum alium inſigni virum ſanctimonia. Hypolitus. Ego igitur Louanium propero, noĩationem, quam dicunt artiũ facultatis occupatur⁹, Te rogo mi Pãcrati, quod mihi dixti, ne cui dicas alij. Nam tot habet Argos tot habet (vt vulgo loquuntur) ſacerdotiorũ ſnaphanos Louanienſis ſchola, & quod magis mireris ex illo hominum genere qui ſacris initiati ſanctioribus ſtudent literis. Pancratius. Rem nouam audio, quum tales admoneat vertex raſus omnibus huius mundi cupiditatibus liberum eſſe oportere Chriſto dicatum, & ſanctæ literæ nihil doceant aliud, quam terrena contemnere, hoc quidem eſt vendere omnia quæ in hac vita poſſidentur, & ipſam emere margaritam, id eſt Chriſti Euangeliũ omnibus rebus ante ferendum. Hypolitus, Hæc ſemper illorum cantilena eſt: Quantum valet in portatis? Hanc in ſcholis, in prandijs, in merendis, in cœnis, in repotijs illorum, atq; etiam in templis audias quæſtionem. Pancratius. In templis ais? Domini vox eſt, Domus mea, domus orationis

vocabitur. Hypolitus. Orant & hij in ſacris ędibus, dicunt, Adueniat regnum tuum, votis ardentioribus optantes regnum mundi, id eſt eccleſiaſticos honores & ſacerdotia, quam regnū illud ſpirituale, quod in Chriſto renatos aſſerit in libertatē. Pancratius. Hæc igitur eſt generatio querētium non dominum, ſed querentium faciem auri & argenti. Hypolit. Non minus vere q̄ feſtiuiter iſtuc dixiſti. Pro hijs enim quotidie rixantes, ditant copijſtas, notarios, aduocatos.

Dicta quā feſtiuiſſima.

Auguſtinus & Gregorius.

Auguſtinus.

AVDIO nuper apud Ticinum memorabili pręlio victos eſſe Gallos. Grego. Factum. Auguſtinus. Et captum regem Gallorum veniſſe in manus hoſtium. Gregori⁹. Ita eſt vt dicis. Auguſtinus. O fortuna, vt nunquam es perpetuo bona, Hic te declaraſti cū in cæteris rebus tum in re militari potentiſſimam eſſe. Grego. Temere quidem ille mihi feciſſe videtur, qui in terra aliena & vbi toties a maiorib⁹ eius infeliciter pugnatum eſt heræ tam variabili ſe ſuaſq; fortunas omnes commiſerit. Auguſti. Magnanimi eſt viri pro patria dimicare. Grego. Atqui nemo patriam illius oppugnabat. Verum ſuis finibus non contentus ipſe finitimis bellū intulit. Auguſt. Quid eum huc pertraxit? Grego. Dominandi libido. Auguſt. Quanto ſatius erat, imitari eum antiquiſſimos reges illos quibus imperij fines tueri magis q̄ proferre mos fuit. Nunc

hoc dicito mihi, audiſtin tantus rex quo animo ſe ſeruitutem ferat? Nam cum inter præcipua bona libertas habeatur, mihi quidem videtur homini libero nihil ſeruitute aut indignius aut grauius accidere poſſe. Grego. Quo ille animo ferat quod acciderit, equidem ignoro. Ex varia lectione ſcio multos viriliter magnoq; animo captiuitatem toleraſſe. Captiuus Romam duct9 Iugurtha ad hoſtium carceris etiam iocatus ſcribitur, Alphõſius rex Neapolitanus in captiuitate mirabilem prę ſe geſſit firmitatem, Carolus Malateſta animũ generoſum captiuus retinuit. Exemplorum huiuſmodi plena eſt hiſtoria. Auguſt. At graue eſt ſeruire. Grego. Graue profecto, humanum tamẽ quod tam multis non raro ſed ſæpe contigit mortalibus. Nihil ſpectatius q̃ contra fortunam obduruiſſe. Vt igni aurum exploratur Tempeſtas gubernatorem oſtendit, Ita difficillimis quibuſdam & maxime calamitoſis rebus vir fortis probatur.

Viri ĩ captiuitate fortes ac ſtrenui.

Sermo grauis nedum pulcher.

ALIVD.

Pontianus & Nicaſius.

Pontianus.

QVAM vellem præteriiſſe feſtum diem aſſumptæ in cœlũ virginis. Nicaſ. Quid ita? Pontia. In diem enim proxime ſequẽtem fratris mei ſunt cõſtitutæ nuptiæ, ad quas iam dudum per literas vocauit me pater, ibi tum dies compluſculos genio indulgebimus. Nicaſius. Longe melius erat interim te cum libris tuis colloqui, in ſcholis verſari, & auditorijs, præcepto-

...dre quem habes doctiſſimum. Pontia. Vtinam preterijſſet ille dies. Nicaſ. Neſcis profecto quid optes demens, Tu non cogitas omne id tibi periturum tempus, quod in patria luſibus ineptis, & commeſſationibus impendetur. Quanto ſatius eſt te id dare operã qui iſta ex animo amoueas tuo, quam id loqui quo magis libido fruſtra incendatur tua. Ponti. Surdo mihi narras fabulam Nicaſi, valeant interim libri, valeat ſchola in menſes duos, ſi bene qui cœnat, bene viuit. eamus quo ducit gula, piſcemur, venemur. Nicaſ. Studebis interea domi epotandis calicibus. non raro fortaſſe ad temulentiam vſq;. Primum hac re nihil bonæ valetudini magis inimicũ eſt, deinde quã turpe plus ingerere quam cupias. Seneca ſcriptor ſanctiſſimus nihil aliud eſt (inquit) ebrietas quam voluntaria inſania. Extende ĩ plures dies illũ ebrij habitum. nunquid de furore dubitabis? Nunc quoq; non eſt minor, ſed breuior. Maronis carmẽ eſt. Senecę authoritas ſãctiſſima.

Nec veneris, Nec tu vini capiaris amore. Virgilius.

Pont. Vinum curas diſcutit, ſpem vireſq; reducit mentibus anxijs. Nicaſ. Propertius vino inquit forma perit, vino corrumpitur ætas, Ponti. Narratur & priſci Catonis ſæpe mero incaluiſſe virtus. Nicaſ. Quæ tu adhuc adfers omnia moderatum laudant vini viſum, non temulentiã. Cognitu dignum eſt illud Eccleſiaſtici, Satis eſt homini erudito vinum exiguum, & in dormiẽdo nõ laborabis, neq; ſenties dolorem. Propercij dictamen. Ecclſiaſtici authoritas pijſſima.

LVDVS CHARTARVM. per Auguſtinum reymarium mechlinienſem iuuenem doctiſſimum.

Digitized by Google

DEVM immortalem quã cãdidę ſunt hę· chartę, qđ ſi his luderemus? ſi placet Monomachia vt viriti certetur, duobus ludentibus alteri quieſcant, ego primum haſce commiſcebo, deinde ſingulis vnam dabo chartulã: & quib⁹ priores cõtigerint, hi quod nobis bene vertat ludendi facient initium. Rex proternione habetor. Regina diadis inſtar eſto. pediſſequus monada Vnariæ chartulæ endecada, denariæ decada valeto. Vn⁹ & trigeſimus numerus ludum abſoluito. Male partienti hollandicus denariolus multa eſto. Et ne lõgum faciam, victori præmium eſto folium papiri, quinq; & viginti iuglandes, & ſex mala, vel ex eorum genere quæ vulgus aureos, vel quæ mendicos, vel quæ pepones appellat. Iubetis ne has leges? Socij. Etiam. Cornelius. Quod bonum felix & fauſtum ſit nobis omnibus, nũc ordine dabo vnicuique vnam chartulam, & quibus potiores obtigerint hi ludent priores, Ioannes & Cornelius certabunt. Regnabit hoc ludo trifoliorũ familia, tu habes denariam trifoliorũ Ne ego felix homo ſum, nihil habeo niſi ligones & corda, trifoliorum nigri quidem, Euax quantum habeo tegularum & regum & trifoliorum? quem ludũ vicero ſi hunc non vicero? Nunquam in vita (quod ſciam) nactus ſum chartulas potiores. Tu nunc Ioannes quod libet iacias. Ioannes. En tibi trifolia hic primus iactus eſt. Albertus. Suppetit ei profecto magnauis trifoliorum, qui iacit ea primo loco. Ioan. Mihi poſterius iaciendi ius eſt.

Altquid ſpero commodi ſeutiam Vici quindecim numeros. Corne. Et ego viginti. Formido tamen nihilo minus, ne tu potiare victoria. Ioan. Niſi hac charta ad me redeat, tam mihi hoc eſt in manu quam Herculi clauam extorquere, tot chartas habeo parum vtiles. Nunc vide quid agas, hic iactus ludum finiet.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

HADRIANVS BARLANDVS HADRIAno a Riuulo alumno ſuo S:

QVOTIES hic inter ambulandum aut alias cogito de ſtudioſis iuuenib⁹, omnium tu mihi videre fortunatiſſimus Adriane, cui eximio illi viro Eraſmo Roterod. cōuiuere, eundemq́ quotidie tā docte tamq́ facunde loquentem audire contigerit. Pro meo igitur in te amore non poſſum nō iſtam tibi tam raram felicitatem gratulari. Duas abs te accepi epiſtolas, non ſcribam quam elegantes, mihi certe fuerunt longe gratiſſimę. Iam cōſederam poſteriori, imo vtriq́ reſponſurus, & ecce repente vocor Affligineum ad ſtudia eius cœnobij adminiſtratoris, quem nūc iuuenem in literis politiorib⁹ ſeſquiānum inſtitui, Louanio diſcedens optimū virum Gaſparem a Riuulo patruum tuum rogaui, vt me tibi purgaret. Tu vero me purgabis Eraſmo. Vtriq́ enim ſcripſiſſem ſi Louanij manere licuiſſet. Mitto tibi opuſculum quoddam proximis Iulij caloribus a me conſcriptum de claris vrbibus inferioris Germaniæ, & quarundam aliarū in quibus & tuam cernes Antuerpiam. Merito enim tuam dico, quæ te primum naſcentem exceperit. In locis vero noſtratibus deſcribendis ſingula perſequuti non ſumus ſed rerum ſummas, & ex hijs illuſtriſſima quæq́ libauimus. Vale ex rure affliginenſi.

GERMA-
NIAE INFERIORIS VRBIVM, ET ALIARVM QVAE FI- NITIMAE INFERIORI
Germaniæ nunc parēt Carolo im-
peratori Huius nominis
Quinto, Catolo-
gus per Ha-
drianum Barlandum.

COLONIA.

DE inferiore Germania quæ frugiferarum aut lætarum arborū ferax terra eſt, magniſq; & nauigabilib⁹ fluminum alueis irrigatur, & quibuſdam alijs finitimis vrbibus, literis aliquid mandaturus incipiam a Colonia Agrippina, quæ & ſitu & flumine & populo clara eſt, & magnificenter ædificata atq; elegans. Hic vrbe media templum videtur magnificum, vbi trium corpora Magorum ſeruātur, qui Chriſto in Bethleem recens nato munera obtulerunt. Habet Archiepiſcopum, qui ſit vnus e ſeptē Principibus, ad quos electio pertinet Romani imperatoris. Habet magni illius Alberti ſepulchrū. Tot habet ſanctorum reliquias. Hic Vrſula ictu ſagittæ tranſuerberata cum tot virginum milib⁹, cum tot victricibus turmis ad cœli palatium purpureo ſanguine laureata migrauit. Hic gymnaſium eſt liberalium artiū, in quo permulti & eloquentes & docti viri bonas literas ſunt profeſſi.

Digitized by Google

AQVISGRANVM.

DISTAT hinc aliquot milis Aquiſgranum inſigne oppidum monumento Caroli magni imperatoris, quod in templo illic marmoreo viſitur. Eſt & venerabile ſanctorũ reliquijs, quas idem Carol⁹ ex diuerſis locis hic eſſe voluit.

LEODIVM.

DESCENDO nunc Leodiũ, quæ vrbs amœniſſimo extructa loco & ſacris ædibus, & Canonicorũ collegijs lõge ſupat alias oẽs, quæ ſunt in noſtra Germania. Ad hæc ornamẽta Epiſcopũ habet, quo nõ ali⁹ eſt locorũ, quib⁹ imperat multitudine potẽtior. Præcipuæ bonitatis eſt & vini ferax Leodinorũ ager.

TRAIECTVM.

TRAIECTVM quod ſuperius nominãt ad eius differentiã ciuitatis, quę in Hollandia eſt eiuſdem nominis, oppidũ & natura loci, munitionibuſq; & populi frequentia, & ædificijs & Canonicorũ collegio nobile, ſpeciẽ præbet vrbium duarum coniungente eas ponte lõgiuſculo. Huius incolæ, q̃q̃ Leodinis vicini, tamen Burgundicæ domui mire fauent.

NAMVRCVM.

NAMVRCVM ad ripam Moſæ ſitũ arcem habet munitiſſimam, qua bellorum temporib⁹ in captiuis ſeruandis vti cõſueuerunt principes noſtrates. Popul⁹ hic non dici poteſt, q̃ ſit amans Burgundionum, pro quibus aliquando etiam ſuis militaſſe ſtipendijs legũtur. Ferri fodinas habent & in montibus oppido adiacentibus vitiaria amœniſſima. Horum tritici & ſiliginis fertiliſſimus ager eſt.

Digitized by Google

NVLLA eſt natio cui vel humanitate, vel bonitate ceſſerint Brabanti, nulla gens, quę minus grauem ſenectutem ſentiat. Hoc illis perpetua pręſtat hilaritas. Vnde videtur manaſſe iocꝰ ille, Brabantus quo natu grandior, hoc ſtultior. Horum regio tota ameniſſima eſt, nemoroſa pleriſq; locis, ac multijugis ferarũ generibꝰ abundãs. Aeris tanta p̄ſertim circa Louaniũ, & Mechliniã oppida puritas, vt circumiacentibus regionibus, non raro ſeuiente peſtilentia Brabanti immunes a lue perſeuerent. Terra hæc vbiq; herbida, rerũ omnium ferax quæ blãdiũtur naribꝰ, quæ palato ſapida ſunt. Quęcunq; oculos paſcũt, quæcũq; ad noſtratia medicamenta conueniunt largiſſime effundit.

LOVANIVM.

LOVANIVM caput eſt vrbiũ Brabantiæ, cœli, & aeris benignitate nulli cedens aliarũ. Hic intra muros libera prata, vineæ, horti ſpacioſi, agri, pomaria, campi, dumi, ſaltus, paſcua, paruæ ſyluulę parua nemuſcula, vt merito hanc ſedẽ ac domicilium optimarum artium delegerint maiores noſtri. Habet enim ſcholam, qua nõ ſit alia ſecundũ Pariſiacã numeroſior, neq; ornatior. Multa ſunt paſſim toto orbe Chriſtiano gymnaſia, ſed in alijs alia videas deſiderari. Aurelię in Gallijs ſolę leges

Digitized by Google

ciuiles. Pariſij Theologia, ius Canonicū & ſophiſtica traduntur. Sunt aliæ quædam ſcholę vbi ſola in prætio eſt Medicina. Louanij omnes ſcientiæ docētur. Habet hæc vrbs ſacras ædes plurimas. Vnā diui Petri ſtructura tam eleganti, vt architectorū iudicio nullam plurib⁹ locis inuenias pari politie. E conſpectu templi apoſtolici viſitur domus ciuica operoſiſſima, & quæ non vna re teſtetur olim florentiſſimam vrbem fuiſſe Louanium. Hanc artificij plenam ſtructuram mirantnr Galli, Germani, Btitanni, & Itali. Schola Louanienſis vnum habet caput, vnum principē, cui omnes pareant, hūc rectorem vocant. Cuius officium eſt ius dicere, priuilegia tueri, & maleficij reos ſcholaſticos pœnis afficere. Quum in publicum prodit ante eū it acceſus quem Bedellū recepto illic vocabulo appellant. Pone ſequuntur famuli. Quantum autē honoris huic dignitati habeatur hinc apparet, ꝙ conſules, magiſtratus, & clariſſimi quiꝗ viri, deniꝗ omnium dignitatum gradus academiæ principi aſſurgant & decedant de via. Exeunti ad comitia quæ certis āni temporibus indici ſolent, plures acceſi anteambulant, ſinguli manu auratum geſtātes baculum inſignia honoris ampliſſimi. Eſt hęc ſemeſtris dignitas, quemadmodum apud Romanos olim dictatura fuit ſex duntaxat menſiū. Hęc nobis commentantibus ſcholæ princeps ac rector erat eximi⁹ ſacrarum literarū profeſſor MARTINVS Dorpius. Sunt & alia quædam Louanij non indigna ſpectatu loca, xenodochium ampliſſimum, vbi nunquam non aſſiſtunt ægrotis mulierculæ ſolatijs refouentes ſingulos, atꝗ adferentes quod cuique e valetudine eſſe conſtiterit. Eſt alio loco digna diuis, digna principe domus,

Digitized by Google

quam extruendam curauit ſummus Pontifex Ha
drianus ſextus, quum adhuc in minorib⁹ ageret.
Intra mœnia viſitur & cœnobium Cartuſianorū,
loco ab omni tumultu, ab omni frequētia ſemoto
ita vt nec heremi ſolitudinem in vrbe magnopere
deſiderent monachi. Hoc ædificio nihil ex ea fami
lia vidiſſe ſe quicq̄ ſplendidius ingenue fatentur
quiuis exteri. Ad muros vrbis, qua Mechliniam
itur arx eſt inſigni vetuſtate, & ad ociū rerum que
vrbanarū vacationē principibus accōmodata. Eo-
dem loco in monte templū eſt Baptiſtæ ſacrū. E
regione arcis, cuius modo cōmemini turris eſt in
ipſo muro ex cādido lapide, eaq; altitudine, vt in-
de videri ſereno cœlo Antuerpia poſſit, octo ma-
gnis miliarijs Louanio diſſitū oppidū. Vulgo Im
penſa perdita vocatur hæc turris, quam annis ali-
quot ſuperiorib⁹ fatiſcentē Conſules magno refi-
ciendā curauerūt. Ager Louaniēſis præter frumē
tum, legumina, triticū, poma, pira, perſica, cætera
que ad corporū alimoniā pertinētia, dat & vinum
cuius ea natura, vt non facile inebriet, nō facile ad
arma protrudat, & luctam veneream. Bibant hoc
vinū initiati, quos diuinæ literæ perpetuo ſobrios
& continentes eſſe volunt.

BRVXELLA.

VRBS aulicorum frequētia,
fontium copia, magnificētia
principalis aulæ, Ciuicę do-
mus, ac plurium aliarū ſplē-
dore nobiliſſima, & quod de
ſua Burdegala dixit Auſoni⁹
Clementia hic cœli mitis, &
irriguę larga indulgētia ter-
ræ. Hui⁹ incolæ veſtitu opes

ſuas oſtentant præ cæteris, & maxime genus mulierum. Templorum omnium hoc loco magnificentiſſimum eſt diuæ Gudulæ Canonicorum collegio inſigne.

MECHLINIA.

DISTAT Bruxella & Louanio miliarijs quatuor Mechlinia, vrbs ſitu & opere munitiſſima, q̄ ipſa quoq; ſuas habet minime vulgares dotes. Aeris multam clemētiam & ſalubritatē, incolas ſermone blandos, moribus māſuetos, comes, ciuiles, bellicoſos etiam vbi res exigit. Placet in hac vrbe vicorum amplitudo, placet mūdicies. habet conciliū regiū, habet & ædes ſacras complures, ſed duas quæ longe cæteris antecellūt Deipare vnam, & alteram diui Rumoldi ornatiſſimam, cum turri quæ & magnifica eſt, & altitudine ſpectabilis.

HANTVERPIA.

NVNC offert ſe mihi Hantuerpia, ad Scaldam flumē ſita, Emporiū longe celeberrimum. De cuius ſitu, ſplendore ædificiorū, populi induſtria ac diuitijs quorumdā extant ſcripti libelli. Eſt hoc nobile oppidū ꝑtim maritimū, Gallis, Germanis, Hiſpanis, Britanis, Italis frequentatū. Hodie diuino munere & Senatus prouidētia ſic floret mercimonijs, vt nec Londino in Anglia, Nec apud Germanos Frācfordiæ, Nec in Gallijs Pariſio cedere debeat. Priuatę hic domꝰ affabræ cōſtructæ. Certamen eſt in vrbe quis magnificentius ędificet. Grandia ſunt templa vnum Deiparę virginis Auguſtiſſimū cū turri altiſſima

ex candido lapide. Gentis mirum in opificijs acumen domus extruunt altas magis quam amplas propter locorum anguſtiam, & fere ex lapide. Eſt hæc ciuitas vna omnium quę ſunt hodie in inferiori Germania ſacrarum cerimoniarum ſtudioſiſſima, veræq; pietatis cultrix. Monaſterium habet Præmonſtratenſium, & ſtructura magnificum, & monumento Iſabelæ Caroli ducis Burgundionum coniugis nobile.

BVSCVM DVCIS.

OPPIDVM ludo literario, & pugnaci populo nobile. horum arma ſuperioribꝰ annis, haud ſemel Ghelrij ſenſere, cum qua gẽte vario certatum eſt euentu noſtris hominibꝰ In hac vrbe templum eſt deiparæ ſacrum, opus viſendo apparatu.

FLANDRIA.

EST & Flãdria regio fertilis atq; amœna & pluribꝰ locis ſuauiter aprica, nec expers nemorum & colliũ. Habet & lacꝰ perſpicuos flumina, fonteſq; ſalubres. Gentem nõ inhoſpitalem, veſtitu & lingua a Brabantis indiſcretam.

GANDAVVM

GANDAVVM eſt eius terræ ciuitas fluminibꝰ nobilis, amena, ampla, ſpatioſa, nuſquam concluſa, nuſquam ſuffocata. Innumeræ culteque domus, facũda virorum ingenia, antiqui mores, tum duplice muro ãplificata loci ſpecies. Suos etiã habet vt Louaniũ meditationi ac ſtudijs aptos receſſꝰ. Habet & ludos lr̃arios aliquot multæ celebritatis. Magnifica templa

ca templa Cœlũ perq̃ benignum, gentem frugalẽ magis dixeris quam parcam. Eſt Gandauum & pluribus diuorum corporibus, & nobilibus monaſterijs duobus exornatum, Petri Apoſtolorum principis, & Bauonis, vtrunq; Abbatem habet, & annuos prouentus ampliſſimos.

BRVGAE

PVBLICARVM, priuatarumque ædium in hoc oppido ſplendor, & magnificentia omnem orationẽ, omnem dicendi facultatem ſupergreditur. Vt paucis omnia dicam, totus hic locus paſcẽdis oculis, reficiendis animis dicatus eſt. Pulchra ſunt oppida Gandauum, Hãtuerpia, Bruxella, Louanium, Mechlinia, ſed nihil ad Brugas, Præter Gandauum & Brugas longe clariſſimas vrbes, alia quædam ſunt in Flandrijs oppida clari nominis, Aloſtum, quod ad poſteros nobile reddidit tot excuſis in omni prope diſciplinarum genere pulcherrimis libris Theodoricus Aloſtenſis Typographus Aldernardum, Inſulæ, Iperœ, Teneramunda, Sluſa, quod poſtremum eſt maritimum.

TORNACVM.

NESCIO an vllum Tornaco extaret florentius oppidum vel in Flandria, vel in Brãbantia, ſi noſtratium q̃ Gallicæ tñ ſemper eſſe partium maluiſſet. Cui hic affectus quantum pauciſſimis annis malorũ inuexerit nos ipſi vidimus. Octo enim ſpatio annorum eadem ciuitas bis capta, ſemel diuendita, & interim ſępius ad exterorum libidinem vexata eſt.

N

Digitized by Google

HANNONIA.

HANNONIENSES populi fide & amoꝛũ erga Principẽ ſuum nulli aliarum regionũ cedẽtes, terram & ipſi incolũt herbidam, & paſcuis admodũ lætã. Pietas huic genti in deũ ſingularis, Idioma Gallicũ vt vicinis Tornacẽſibus eſt, Habitus & cætera vita eadem, quæ & Flandris, quibus ſunt contermini. Præcipua Hannoniæ oppida Bergæ & Valencenæ, vtrunꝙ legibus optimis inſtitutum. Nobis hęc commẽtantibus, Valencenis fortuito incendio plus mille domus conflagrarunt pulcherrima totius vrbis regione.

PHRYSIA

PENE mihi exciderant Oceani accolę Phryſij in bello feroces, & armis exercitati, robuſtis ac proceris corporibus, Nulla ſeruitutis gens impatientior, boues opimos alunt quos in alias terras abactos vendũt magna pecunia. Phryſię planus eſt ager, & multo gramine fœcundus, Ignem ſtruunt ex bituminoſo ceſpite, propter lignorum inopiam. Hos populos anno ſuperiore ad Caroli Cæſaris obſequium retraxit clariſſimus belli dux Ioannes a VVaſſenaer, quẽ ſi fata virum nobis ſeruaſſent validas Ghelriæ veniſſet ad vrbes. Oppida Phryſiorum magis inſignia ſunt Gruninghia & Leuuardia, vtrunꝗ opulentum, vtrunꝗ populoſum, Illud etiam valide munitum contra hoſtiles inſultus.

GHELRIA.

NVNC de Ghelria dicendum eſt, regione non tantũ ad ſuorũ, ſed exterarũ quoq; gentiũ tutelã fertili, vt interim ſilẽtio prẽteream: q̃ bellicoſum atq; pugnacem habeat populũ, ſuoque Principi valde fidelẽ. Vrbes hic quatuor maxime inſignes, Nouiomagum, quod amœnus ac nobilis fluuius VVala præterfluit: Ruremunda, & ipſa ſuis dotibus nobilis. Arnhemiũ, quod noſtra memoria Philippus Burgũdionum Princeps occupauit. Et Sutphania ciuibus opificibuſq; non infrequens. In his quatuor nõis vetuſtate, populi frequentia, & opum magnitudine primas tenet Nouiomagum, partim in cliuo, partim in plano ſitum, patria ac natale ſolum eruditiſſimi facundiſſimiq; viri & ſtudioſorum omnium Mecœnatis Franciſci Craneueldij, Cæſari Carolo a conſilijs Mechliniæ.

HOLLANDIA.

QVAM nũc Hollandiã dicimus, olim Holtlandia nõiata eſt a copia lignorũ, vt hñt annales quidã. Hui⁹ regionis herbis & ſalictis maxĩe cõſit⁹ eſt ager. Frumentũ quo vtunt̃ nauigijs aliunde inuehitur. Homines hic induſtrij, negotioſi, ſimplices & ad omnem humanitatem benignitatemq; propenſiſſimi. Alios videas ad parandam vel rerum, vel linguarum cognitionem diuerſa Chriſtiani orbis adire gymnaſia. Hollandis vero magis honoratur egregia morum integritas, q̃ãquã nec ipſi negligũt ſtudia p̃cipue lr̃arũ meliorũ quas aliquo

fœlicius q̃ cæteri diſcunt, ſi modo a teneris annis p̃ceptoribus tradantur. In vaſorũ nitore, menſarum lauticia, mantilium atq; mapparũ candore, munditia deniq; rerum omniũ ſuperant alias nationes. Mulierum genus pulchrum, & lacteum, aut negotiatur vt viri, aut linificio, lanificio ve dat operã. Hollandia & piſcoſis interluitur amnibus, & paſcuis abundat vberrimis, neq; regio eſſe creditur alia in orbe, quæ ſimili ſpacio tot habeat oppida mediocriter quidem magna, ſed apprime polita, & concinna. Pagos quoq; regio ſumptu paſſim ædificatos videas. Dolendum hanc tam nobilem tam florentem prouinciam Lutheranę factioni tã topere fauere. Dicam nunc de oppidis huius regionis.

TRAIECTVM.

HANC vrbem alij attribuunt Hollandiæ alij Phryſiæ. Siue in Hollandico ſolo, ſiue in Phryſia ſita, haud dubie nobiliſſima eſt, & priuatarum ædium pulchritudine, & clero Habet enim celeberrima Canonicorum collegia, in quibus principem tenet locum, quod eſt Diui Martini, habet & Antiſtitem qui in ſacris latiſſime imperat. Hic tam diues ac potens, vt ſiquãdo ſit neceſſe quadraginta hominũ millia ad bellum poſſit armare. Ex hac vrbe Romanum Pontificem Hadrianum eius nominis ſextum noſtra vidit ætas. Quę fœlicitas nulli vnquam contigit aliarum quæ ſunt in orbe noſtro. A Traiecto non longe diſſita eſt Dauentria, quod oppidum plures annos floruit ſchola bonarum literarum.

DORDRACVM.

Digitized by Google

VRbs eſt valide munita negotiationi idonea, vndiq; cincta mari, opibus & celebritate inter alias longe princeps.

HERLEMVM.

HAnc vrbem inuenio conditam a quodam illuſtri viro cui nomen inditum fuerit Lem Germanica lingua, vrbs hinc dici cœpta Herlems ſtat Germanice. Nos eadem ratione Herlemum dicimus latine. Forum hic maximum, pulchræ domus, templum egregium, vrbs ſita eſt loco peramœno. Statim egreſſis mœnia occurrit nemus, in quo varias auium linguas audire licet, in quo timidi damæ, ceruique fugaces, lepores, cuniculi, denique ferarum omne genus.

LEYDA.

PVlcherrimum Hollandiæ oppidorum, ędificia habet & concinna. & frequentia, Vicorum hic eſt perpetua quædam mundicies, vt alijs quibuſdam terris plus luti ac cœni inuenias in domibus quam hic in plateis.

DELFVM ET HAGA.

DE huius oppidi conditione puto me dixiſſe non nihil in opuſculo de Comitibus. Incolarum opes amplæ ſunt, multa in diuos pietas, ceruiſiam conficiunt optimā quæ plurima ad Selandos vicinā gentem importatur. Hinc paruo miliario diſtat Haga comitis, ita enim nominatur pagus & magnitudine & cultu, & incolarum frequentia non paucis oppidis anteferendus, Hic cō cilium eſt ad quod totius Hollandiæ atq; item Selandiæ populi concurrunt in rebus ambiguis.

Digitized by Google

AMSTELREDAMVM.

Hoc cæteris quę nominaui, recentius oppidum, genus hominum incolit pecunię ſtudioſiꝰ. Quocirca in remotiſſimis etiam terris negotiant̄. Habentq; toto fere anno externũ domi ſuæ mercatorem. Præſtat hoc illis cõmoditas portꝰ. Sũt alia quædam non pœnitenda Hollandiæ oppida, Goricum, Gauda, Alcmaria, Roterodamum eximij illius viri Eraſmi Roterodami vrbs nutricula.

SELANDIA.

De Selandiæ meæ ſitu extat perq̃ eruditi Viri Gerardi Nouiomagi veteris amici noſtri epiſtola nõ inelegãs. Dicit ille totã Selandiã ſexdecim inſulis ac totidẽ oppidis cõſtare, fertilẽ eſſe regionis agrũ, multoq; diligentius coli q̃ Hollandicum. Quod hic naſcitur triticum multo & purius & candidius eſſe Hollãdico. Mores eſſe indiſcretos cũ Hollãdis, lingua citatiore noſtrates eſſe. Portuũ cõmoditate, mercimoniorũ copia, & nauiũ numero Gerardꝰ Hollãdiæ p̄fert Selandiã. Coquit hæc inſula ſal candidiſſimus. Habet Selandia tres inſignes inſulas, VValachriam, in qua Veria & Middelburgum oppida mercimonijs florent, Schaldiam, vbi Ziricea eſt opulentum, & non inconcinnum oppidũ, Suytbeuelãdiã, in qua duæ ſunt vrbeculæ, Gouſã, & Ruemerſuuala, Eſt hæc omniũ Selandię inſu-

Digitized by Google

larum amœniſſima, Syluas habet locis aliquot, hortos quoq; in quibus eſt quicquid natura produxit herbarum eſculentarum. Pomaria paſſim ampliſſima. Hic menſibus vernis omne auium genus ſubſilire, circumuolitare, colludere, deliciari, videas: hic vel ſtudere, vel obambulare, vel cū amiculo confabulari, vel cibum capere, vel cum ſodalibus luſitare ſumma eſt voluptas. Göuſę oppidulo quod dixi vicina eſt patria mea Barlandia, locus adeo & fertilitate ac rerum copia, & ædificijs & littoris amœnitate præſtans, vt non immerito de hac dicere poſſim, quod de Baijs Horati⁹ dixit. Nullus in vrbe locus Baijs prælucet amœnis. Item poeta Martialis, Vt mille laudem Flacce verſibus Baias, Laudabo digne non tamen ſatis Baias Totus locus pratis irriguis paruiſq; cinctus eſt nemuſculis, Dignam ſtudijs, dignam Muſis, ſedem diceres.

Vrbium inſignium Germanię inferioris.

FINIS.

Antuerpiæ apud Michaelem Hillenium.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google